



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

9004
B42



DISSERTATIO HISTORICO - POLITICA
INAUGURALIS,

D E

SERVORUM AFRORUM COMMERCIO,
EOQUE RECTE SUBLATO,

NEC NON

DE AFRORUM SERVITUTE PENITUS
TOLLENDI,

DISSERTATIO HISTORICO - POLITICA
INAUGURALIS,
D E
SERVORUM AFRORUM COMMERCIO,
EOQUE RECTE SUBLATO,
NEC NON
DE AFRORUM SERVITUTE PENITUS
TOLLENDÁ.
Q U A M,
CUM THESISIBUS ANNEXIS,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI
JOANNIS VAN VOORST,
THEOLOGIAE DOCTORIS EJUSDEMQUE
PROFESSORIS ORDINARII,
NEC NON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,
PRÓ GRADU DOCTORATUS,
SUMMISQUE IN JURE ROMANO AC HODIERNO
HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,
IN ACADEMIA LUGDUNO - BATAVÁ,
RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,
PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTET,
JOANNES THEODORUS HENRICUS
NEDERMAYER VON ROSENTHAL,
CULENBURGENSIS.
Ad Diem XXIV. Junii MDCCCXVI. Hora XI.—XII.
IN AUDITORIO MAJORI.

LUGDUNI BATAVORUM
APUD L. HERDINGH ET FILIUM,
M D C C C X V I.

1937-1938

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

VIRO CLARISSIMO

HERMANNO TOLLIO,

**J. U. DOCTORI ET LITER. GRAEC. IN ACADEMIA
LUGDUNO-BATAVA PROFESSORI ORDINARIO,
ORDINI EQUESTRI LEONIS BELGICI AD-
SCRIPTO, COGNATO DILECTISSIMO,
ET FAUTORI EXIMIO,**

E T

VIRO AMPLISSIMO

**BALTHASARI THEODORO
NEDERMAYER BOSCH,**

**CIVITATIS CULENBURGENSIS CONSULARI, AVUN-
CULO CARISSIMO, DE SE SUISQUE STUDIIS
OPTIME MERITO,**

*hasce Studiorum qualescumque
primitias ea, qua par est,
animi reverentia*

D. D. D.

A U C T O R.

Quamvis ille niger, quamvis tu candidus eses,
..... nimium ne crede colori.
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Virgilius, *Ecl.* II. vs. 16—18.

Der Schwarze in der Zucker-Plantage.

Weit von meinem Vaterlande

Musz ich hier verfinachten und vergehn,

Ohne Trost, in Müh und Schande;

Ohhh die weisen Männer!! klug und schön!

Und ich hab den Männern ohn' Erbarmen

Nichts gethan.

Du im Himmel! hilf mir armen

Schwarzen Mann!

Claudius, *Wandsbecker*

Bothen, pag. 12.

DISSERTATIO HISTORICO - POLITICA
INAUGURALIS,

D E

SERVORUM AFRORUM COMMERCIO,
EOQUE RECTE SUBLATO,

NEC NON

DE AFRORUM SERVITUTE PENITUS
TOLLEND A.



I N T R O D U C T I O.

I. **M**utuam opiniones in scripta, scripta in opiniones vim exercere, nemo nescit. Quis enim est, qui, generis humani historiam aliquanto accuratius pervolvens, non ultro perspiciat, fummos in aliquo disciplinae genere viros aevi sui ingenium ita afficere, ut in omnibus ejusdem saeculi monumentis aliqua, magis minusve expressa, ejusdem tabulae, ut ita dicam, effigies appareat? vel quae umquam in hominum, eodem tempore viventium, animis prae ceteris dominata est opinio, quam in omnibus ejusdem aevi libris, tamquam in totidem speculis, refulgentem non invenias? Utriusque exempla historia abunde fatis offert; posterius luce clarius probat nostri temporis experientia. Postquam enim aliquando tangere coepit nostri aevi mortales injustitiae,

qua sese erga Guineae incolas polluerent Europaei, cogitatio, non tantum omnium sermonibus haec res agitata fuit, verum etiam hodieque nullum fere alicujus nominis opus prodit, in quo non aliqua certe ejus mentio occurrat.

II. Quae cum ita sint, nemini certe mirum videri potest, nos, cum de quaerenda materie, Academicæ Disserationi adaptata, essemus solliciti, in hanc rem incidisse, et in illa virium periculum faciendum esse statuisse. Accessit ipsius rei gravitas, quippe quae non in speciosa quadam quaestione et ab usu quotidiano longissime recedenti versetur, sed quae in proximo hominum adpectu posita ad commoda civitatum primaria jure referri possit; accessit etiam artissima ipsius cum dilectissimis Juris Gentium et Publici studiis conjunctio, quorum amore praecipuo cum semper flagrassem, iisdem, Academiae valedicturus, postremam operam non impendere non potui. Haec de causis, cur hanc materiem elegerimus, sufficiant; superest, ut de modo, quo hanc rem elaborandam censuimus, Lectorem pauca moneamus,

III. Quamvis autem *Servorum Commerci* vocabulum in omnium ore sit, tantum tamen abest, ut justam ejus notionem omnes animo conceptam habeant, ut potius ipsius rei atrocitati minime respondeant vulgares opiniones; ceu recte observat V. D. I. C. L. Simonde de Sismondi, in opusculo, cui titulus: *De l'intérêt de la France, à l'égard de la Traite des Nègres*, pag. 5 (1). Multi enim sunt, qui licet ipsa res, tan-

ta

(1) „ *Le nom vague de traite ou de commerce des nègres, ne frappe point immédiatement l'imagination, par le tableau de tout ce qu'il désigne et qu'on veut rétablir.* ”

ta animorum contentione hoc tempore agitata, eos non fugerit, rei tamen, de qua quaestio sit, naturam penitus ignorent, adeoque omni iudicium rite ferendi oportunitate sint destituti; multi etiam, apud quos, etiam si rei indolis non plane ignaros, nunc quoque resideant perversae illae de natura hujus commercii et de moribus ac ingenio Afrorum opiniones, quae univérse adeo fuere receptae, et quas fovere ac sustentare adeo necesse habebant servitutis patroni. Quibus quidem difficultatibus prius obviam eundum esse, ~~quam~~ ipsa, de fervorum commercio tollendo quaestio aliqua spe successus posset attingi; quisque videt; sed plus etiam faciendum esse, nobis visum fuit. Praemittendus videbatur brevissimus de servitute univérse ejusque origine et progressu tractatus; eique subjungenda disquisitio de justis servitutum constituendi modis, nec non de utilitate, qua sese civitatibus privatisque ex multorum opinione servilis conditio commendare videatur: ille, ne ullam rei gravissimae partem prorsus intactam reliquisse videremur; haec, ut, positis generalibus principiis, factior esset eorum, quae dein de quaestione primaria dicenda forent, applicatio. Hinc itaque Sectionem primam *de servitute in genere*; secundam *de servitute Afrorum* inscripsimus: in illamque, quaecunque de servitutis notione, historia, justitia et utilitate scitu dignissima ad propositum nostrum pertinere viderentur, colligere; in hac fervorum Afrorum commercii originem, progressum et naturam, nec non eorundem in Colonis conditionem, quantum per angustos Disfert. Academicæ fines rei que gravitatem liceret, breviter exponere conati sumus.

IV. Succedit Disertationis Sectio tertia, eaque prima-

maria, in qua tum ex iustitiae, tum ex prudentiae ci-
 vilis et privatae principiis, tollendum fuisse fervorum
 Afrorum commercium, nec non penitus tollendam esse
 eorum servitutem demonstrare in animo fuit. Cujus
 duplicis quaestionis cum haud admodum ardua videatur
 pars illa, quae in investigandis juris principiis, servi-
 tutem Afrorum vetantibus, versatur, gravioribus diffi-
 cultatibus premitur pars posterior, quippe in qua nobis
 incumbat probandi onus, fervorum Afrorum commer-
 cii, eorumque servitutis ~~tollendae~~ consilium, civitatum
~~privatorumque~~ utilitati nequaquam repugnare. Quanti-
 vis enim multa sint, quae pro nostra sententia mili-
 tent, argumenta, quin imo, quamvis hominum libero-
 rum, mercede conductorum, operis utendi ratio multo
 nomine tum civitatibus, tum privatis commodior et
 fructuosior appareat; negari tamen nequit, adversario-
 rum rem eo defendi, quod ea longissimo usu sit con-
 firmata, et cum ipsa Coloniaram natura adeo coalue-
 rit, ut, nisi summo harum discrimine, haec ab illis
 separari non posse videatur. Quod quidem, quamvis
 causam, quam defendere conati sumus, praesertim si
 tantum *theoretice* spectetur, nequaquam infringat, eo
 tamen valet, ut summam cautionem, inprimis si de
 servitute Afrorum penitus tollenda agatur, hac in re
 esse adhibendam, cunctis possit persuaderi. Quapro-
 pter, etiamsi in ardentissimis votis sit faustissimum illud
 tempus adspicere, quo plenissima libertas hominibus
 miserimis restituatur, et multas inprimis hoc tempore
 adesse rationes, quae humanitatis hoc officium neces-
 sarium reddant, nobis persuasum sit; caute tamen et pru-
 denter rem ipsam aggrediendam esse, ne, reddita ser-
 vis libertate, ipsae Coloniae pereant, nos quidem, gra-
 vis

I N T R O D U C T I O.

visis inductis argumentis, judicamus (2). Ceterum, si illud tantum effecerimus, ut, utilitatem publicam et privatam, nisi servitatem tollere hominibus persuadeat, illud saltem non disuadere, L. B. nobiscum consentias, votis longe majora nobis consecuti esse videbimur.

V. In quarta denique Sectione sublatis fervorum commercii historiam succinctam, et auctorum, qui scriptis suis humanitatis causam promoverunt, recensioem brevissimam exhibere conati sumus. Qua in re tractanda, cum egregium mihi primum auxilium tulerit eximius Frosfardi liber (3), deinde tamen ab eo desertus (4), omnem rem solus perficere coactus fui; quod ut memineris L. B. si tibi multa, minus accurate posita, occurrant, te enixe rogatum volo.

Quod si qui sint, qui certe erunt, qui rem me suscepisse viribus longe majorem, judicent, horum ego judicium tantum non refellere conabor, ut potius, plurimis et diversissimis difficultatibus oppressum, propositum deferere me saepius in animo habuisse, ingenue fatear. Haesitantem vero sustentavit rei susceptae gravitas, et praeclara cogitatio, accidere forte posse, ut flebili Afrorum conditioni sic quoque aliquod levamen
af-

(2) Cf. quae hac de re dixit Simonde de Sismondi
l. l. pag. 71.

(3) *La cause des esclaves Nègres et des Habitans de la Guinée, portée au Tribunal de la Justice, de la Religion, de la Politique; ou Histoire de la Traite et de l'Esclavage des Nègres, preuves de leur illegitimité, moyens de les abolir sans nuire ni aux Colonies ni aux Colons.*

(4) Prodiit enim hoc opus jam An. 1789.

afferretur; quae quidem, si minus fortasse sufficiant, (quod tamen vix credere licet), ut benevolus Lectorum animus huic nostrae scriptioni concilietur, fati mihi praesidii futurum confido in scriptiois titulo, quippe quae: *Disertationis Inauguralis* nomen gerens, auctorem non, ut qualemcunque gloriolam captaret, sed ut Academiae legibus obtemperaret, ad scribendum se contulisse, Lectorem perspicue moneat.

S E C T I O P R I M A.

DE SERVITUTE IN GENERE.

C A P U T I

De Servitutis notione, divisione, definitione.

I. **D**e servitute scripturo, quænam sit hujus vocabuli origo, quæ vis et quomodo a ceteris ejusdem generis speciebus, ea de qua nunc agitur species, tum dividendo, tum definiendo distinguenda sit, accurate investigandum est. Quod ad vocis Etymologiam attinet, quamvis ea res eruditos non multum occupaverit, haud tamen eadem omnium est opinio. Nomen *servi* ab ἐπίω (traho) deductum existimat Bodinus *de Rep. Lib. I. c. 5 pag. 53*. Ab *eris* unde *eritudo* derivat Scaliger in conjectaneis ad Varionem (1). Utri harum auctoritati plus tribuendum sit,

(1) Vid. G. d'Arnaud, in *Disf. de Jure Servorum*, adjectis *variarum Conjecturarum Libris*, pag. 3, ubi idem ait: „definire non ausus, utra harum genuina sit Etymologia, „forte neutra.”

fit, alii judicent; jure tamen mihi rejicere posse videor vulgatam illam *quasi*-derivationem, quae est §. 3. *Inst. de Jure Personarum*, quae *servi* dicuntur, quasi *servati*, eamque Grammaticam potius allusionem vocare, quam veri nominis Etymologiam (2). Cum analogia autem plurimum congruere videtur, *servi* et *servitutis* vocabula ex communi fonte cum verbo *servire* esse derivanda; ipsius fontis investigationem eruditioribus lubens relinquo.

II. *Servire*, cum proprie significet *coactam* five *necessariam praestare ~~obsequium~~*, ex hac verbi *servire* significatione sponte jam sequitur, nihil aliud *servitutem* in genere esse intelligendam, quam *necessariam* (*non a proprio motu sive voluntate ortam*) *actionum sive omnium sive quarumdam ad alterum observandum alterive obediendum directionem*. Quam quidem servitutis significationem etiam rebus, necessariam aliis rebus sive personis utilitatem praestantibus, applicuerunt Jcti, uti omnibus notum est.

III. Haec autem necessaria, ut ita dicam, observantia, cum pro vario unde derivetur fonte, variisque, quibus et praestetur et exigatur modis, summo pere differat, plurimae hinc extiterunt servitutis divisiones, quarum nonnullas hic recensere operae pretium est.

a. Dividuntur servi, quod sint vel natura tales vel lege. Eos, qui natura servi essent, intelligebant,

(qui

(2) Quod enim ad tuendam hanc sententiam ait P. Voet in *Comm. ad h. t. Inst.*, „oportere, scilicet, prius servos esse servatos, quam servire possint“ id argutius est, quam verius. Vid. G. d'Arnaud *L. l. pag. 7.* et Clar. Barbeyrasi in *Notis ad Pufend, L. VI. c. 3. §. 3.*

qui ab omniparente rerum matre ita comparati sint, ut alienis imperiis subesse debeant. Aristot. *Polit. L. I. c. 3.* (3). Servi autem lege tales dicuntur, qui alieno dominio subjiciuntur ex causis, jure gentium aut civili introductis, cum saepe a natura ita comparati sint, ut deberent esse liberi (4).

Hujus autem divisionis nullum omnino usum esse, neque tales servos, quales meminit Aristoteles, in jure intelligi, per se satis patet.

- b. Dividitur servitus, quod alia sit politica, alia civilis, alia domestica. (5). *Politicam* ajunt, si universa gens, in forma regiminis despotica, tyranno, vel etiam exteræ alicui genti, servorum instar, subjecta est; *civilem*, quam homines, variis modis libertate orbati, privatis; *domesticam* autem, quum uxores maritis serviant.
- c. Alia servitus est realis, alia personalis (6). *Realis* est, qua servi, tanquam glebae sint adscripti, qualis, teste Tacito, erat servitus apud Germanos; *personalis* spectat ministerium domus et magis refertur ad personam domini.
- d. Servitus distinguitur in publicam et privatam. *Publica* est, qua servi Reipublicae, tanquam domi-

(3) Cum hac Aristotelis sententia conferri merentur Vinnius in *Comm. ad Tit. Inst. de Jure Personarum*. Montesquieu; *Esprit des Loix L. XV. c. 7.* et imprimis d'Arnaud in *laudatis Diss. de Jure Servorum pag. 4.* qui multa aliorum Philosophorum loca, huc spectantia, collegit.

(4) Vid. d'Arnaud *l. l. pag. 5.*

(5) Vid. Montesquieu, *Esprit des Loix L. XV. c. 1.* et *L. XVI. c. 1.*

(6) Vid. Montesquieu, *l. l. L. XV. c. 9.*

DISSERTATIO

no; *privata*, qua privatis subjecti sint; hanc etiam alii proprie *domeſticam* vocant.

e. Alia servitus est perpetua, alia temporaria. *Temporaria* proprie est famulorum; utraque autem haec Servitus hodie uno nomine dicitur *societas herilis*, nam species famulorum sunt servi (7).

f. Servitus est vel perfecta vel imperfecta (8). *Perfecta* est, qua perpetuae operae debeantur pro alimentis et aliis, quae vitae necessitas exigit; *imperfecta* vel certa conditione, vel ad tempus, vel certis limitibus est circumscripta.

Sunt etiam plures servitutis divisiones, sed quae a propositis parum ita differunt, ut eas memorare necesse non sit (9).

IV. Cum autem instituti ratio non sinat, ut de singulis hisce divisionibus singulatim disseramus, jam alia quaedam in medium proferre in animo est, quae ad propositum nos propius adducant. In omni servitute, cujuscumque illa generis sit, quaedam cernitur societas, quae five ex mutuo consensu, quae est v. c. servitus famulorum, five ex vi, dolo aliave causa oritur; haec igitur, origine inspecta, injusta quidem est societas et vix illud nomen meretur, quod tamen docendi gratia ei adjungere liceat. Sunt autem omnes societates vel *aequales* vel *inaequales* (10). Inaequalium ea est indoles, ut in iis unus vel plures focii junctim sumti imperantes, ceteri autem subditi subjec-
ti-

(7) Vid. L. J. F. Hoepfneri *Jus Nat.* §. 166.

(8) Vid. Grotius *de J. B. ac P. L.* II. c. 5. §. 27. n. 2. et §. 30.

(9) Cf. Potgiesferus in *Comment. de statu Servorum. Prolegom.* §. 15.

(10) Vid. L. J. F. Hoepfneri *Jus Nat.* §. 143.

HISTORICO-POLITICA

tique sint. Imperium illud et *limitatum* et *illimitatum* esse potest; imperio illimitato obnoxius, *servus* vocatur.

V. Sic itaque vidimus servitatem illam, de qua agere nobis proposuimus, esse societatem inaequalem illimitatam; jam de diversis, quibus servitatem definire conati sunt VV. DD. modis, pauca videamus.

Servitus in jure Romano (11) definitur: *Constitutio Juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subicitur*. Cum autem quodvis dictum ex mente auctoris sit explicandum, illud imprimis de definitione valet; cum enim difficillimum sit accuratam et omni numero absolutam rei definitionem tradere, accidere saepe potest, ut ex pluribus diversis definitionibus quaeque suas habeat dotes et scopo, quem sibi proposuerit auctor, optime respondeat, quamvis eadem alius auctoris consilio non conveniat; quapropter incongruum foret omnem a nostro scopo alienam definitionem rejicere; sed ejus semper consilii, quo eam auctor dederit, ratio habenda est; ut exinde etiam appareat, quaeenam nostro scopo maxime conveniat. Haec autem, quae diximus, definitionibus de servitute, omni nobis jure applicanda videntur; alii enim juridicum servitutis fundamentum investigantes, suam definitionem iis limitibus, quibus servitus a natura non recedens erat circumscribenda, incluserunt; alii iterum, nulla hujus juridici fundamenti habita ratione, abjectam illam hominum, hominibus subjectorum, conditionem sua definitione exprimere conati sunt; alii denique, historia duce, naturam servitutis definiverunt et juris esse dixerunt,

(11) §. 2. *Inst. de Jure Pers.* cf. Potgiesferus in *Comment. de statu Servorum. Prolegom.* §. 13.

runt, quod barbaro et a juris praeceptis abhorrenti mori tribuendum est. Ad ultimum hoc genus referenda est definitio Florentini Jcti l. 4. §. 1. *D. de statu hominum*, quam initio hujus §. dedimus; nam doctrina haec Juris Romani circa originem servitutis de historica, non vero de morali aut juridica causa et fundamento intelligenda videtur, quidquid aliter doceant plerique. Quod autem Jcti Romani nullam pacti, quo omnis legitima nititur servitus, in definitione mentionem fecerunt, praeterquam quod de historico tantum fundamento videntur fuisse solliciti, fortasse etiam eorum principiis de Majestate Reipublicae tribuendum est; civem quippe Romanum servum ne quidem fieri posse, nisi propter delictum, existimabant (12).

VI. Primi autem generis est definitio, tum Grotii *de J. B. ac P. L. II. c. 5. §. 27. n. 2. Est autem servitus perfectu, quae perpetuas operas debeat pro alimentis et aliis, quae vitae necessitas exigit.* tum etiam Wolffii in *J. N. §. 108. Servus est, qui operas perpetuas pro alimentis perpetuis praestare obligatur.* Utraque hac definitione servitus describitur, qualis illa secundum naturam legitime existere potest (13), quare etiam addit GROTIUS l. l. „ quae res, si ita accipiatur in terminis naturalibus,

(12) Vid. Clar. Barbeyrac in notis ad Pufend. *J. N. et G. L. VI. c. 3. §. 3. n. 1.*

(13) » *Houdt men deze bepalingen in 't oog, dan bevindt men ras, dat het verschil aan de eene zijde tusschen de Groot en Pufendorf, en aan de andere zijde tusschen Montesquieu en Rousseau Contr. Soc. L. I. c. 4. niet zoo groot is. De eersten hebben het gematigde goedgekeurd, en de laarsten de misbruiken veroordeeld.* Clar. Cra's in egrégia *Disf. de hominum aequalitate*, Edit. Belg. in 8vo. p. 60.

„bus, nihil habet in se nimiae acerbatis,“ cum vero vix unquam illud contingat, recte observat Vir. Clâr. M. Tydeman, in *Comm. ad h. l. Grotii*: „Sed „acerba nimis antiqua Romanorum et hodierna in America servitus esse videtur, quam ut ex humanitatis et „justitiae regulis defendi possit.“ Potest etiam secundum hasce definitiones existere servitus, salva libertate personali (14), cujus tamen privatio a notione servitutis abesse vix potest.

VII. Alterius generis est definitio, tum Cocceji in *autonomia Juris Gent.*: *Servitus est privatio libertatis, qua homo desinit esse societatis membrum, qua extinguitur agendi facultas, quod sibi lubet et succedit agendi necessitas, quod domino lubet, ita ut servus fiat merum instrumentum heri.* — tum Montesquievii, *Esprit des Loix*. L. XV. c. 1. *Servitus proprie est ea conditio, qua homini ejusmodi jus in alium hominem constituitur, ut ille plenum habeat et absolutum in alterius vitam et bona dominium.* Utraque haec definitio nostro proposito magis inservit; in illa vero jus vitae et necis, in hac privatio libertatis personalis desideratur, quorum tamen mentio, si quidem secundum veritatem obnoxiam illam, quae dicitur et de qua nobis hic sermo est, servitutum definire velimus, omittenda minime est. Nobis itaque optime placet haec definitio, cui etiam lubentes adsentimur: *Servitus est ea conditio, qua homini ejusmodi jus (15), cujus unicum fundamentum vis est, in alium hominem constituitur, ut ille plenum*

(14) Vid. L. J. F. Hoepfneri *Jus Nat.* §. 143.

(15) „Agendi enim impunitas improprie jus dicitur.“ Grotius de *S. B.* ac *P. L. H.* c. 5. §. 28.

num habeat et absolutum in alterius vitam, bonam et libertatem dominium. (16)



C A P U T II.

De Servitutis origine et progressu.

I. **U**ti in omni simili quaestione, ita et in hac de origine servitutis rite distinguendum est inter facta et factorum relationes, i. e. inter historicas et morales ac philosophicas rerum causas atque fundamenta. Multum enim differt, utrum quaeras, quando primum ille mos invaluerit, alios sibi homines ad rei domesticae ministerium subjiciendi? quisve populus servos primum habuerit? an vero, quaenam fuerint causae, quibus moti homines, contempta primitiva hominum aequalitate, alios in rei domesticae usum sibi subjecerint? De utraque quaestione paucis videamus.

II. Ac primo quidem, quod ad historiam servitutis attinet, ipsa quidem antiquior est, quam ut de origine ejus certi quid statui possit, utque ea in crassis, quibus prima omnium societatum initia involuta sunt, tenebris penitus lateat. Nulli autem fuerunt antiquitatis populi, nisi forte Indos solos et incolas insulae Tapobranes excipias, teste Plinio, *Hist. Nat. L. VI. c. 22.* et Casaubono ad Strabonem *L. XV. pag.*

1027.

(16) Hanc definitionem totidem verbis expressam invenies in *Encyclopaedia*, quae dicitur, *Literaria*, voce *Esclavage*.

1027. n^o. 2, qui servis usi non fuerint; (1) qui tamen forte, cum iisdem testibus in opulentia satis magna vixerint, mitiori illo servitutis genere, quod est famulorum, vel etiam mercenariis operis suis domesticis prospexerunt; quamvis alioquin ejusmodi locationis operarum, qua quis ad operas quidem domesticas praestandas tenetur, verum liber tamen homo et sui juris remanet, nullum fere in historia ante emendatos per Christianam religionem mores, vestigium reperitur.

III. Neque ex S. S. de origine servitutis certi quid peti potest. Sunt, qui putent servitutem introductam fuisse paulo post diluvium; nulla quippe servitutis mentio fit in S. S. ante illud tempus et quidem primus de ea sermo esse videtur, quando Canaan, filius Chami, fratribus suis addicitur in servitutem, *Genes.* Cap. IX. vs. 25 (2). Hanc autem sententiam alii oppugnant, dicentes Hebraïca voce non mancipium proprie sic dictum, sed talem hominem designari, qui prae egestate necesse habeat alteri serviles praestare operas (3). Utraque sententia habet, quo se commendet: quae autem verior sit aliis relinquo dijudicandum, qui ejusmodi res tractant; illud tantum observantes, etiamsi in loco *Genes.* cit. de servo proprie dicto sermo esset, neque sic ullum inde validum ar-

(1) Vid d'Arnaud *l. l.* p. 3.

(2) De hac materie, uti et de conditione Servorum apud Hebraeos vid. A. H. Royer *Disf. de natura et indole servitutis, tum ex J. N., tum ex Legibus Civ. Hebraeorum, Romanorum et etiam Belgarum* Sect. II. §. 1—4 et Auck. ibi citati.

(3) Vid. Jac. Meynadier, *Tentamen Philos. Jurid. de Servitute obnoxia, Traj. ad Rhenum 1775 pag. 17.*

argumentum peti posse, unde de origine servitutis constaret (4).

IV. Jam de moralibus et philosophicis servitutis causis pauca pro instituti ratione et virium tenuitate addamus. Ac primo quidem statum hunc servitutis *adventitium* esse, non *originarium*, omnes conveniunt; *natura nemo est servus, nemo dominus* (5). Nam quod Aristoteles aliique eum secuti [vid. Cap. I. §. 3.] nonnullos homines *Φύσει δούλους*, [naturâ servos] pronuntiaverunt, nihil hic valet; procul dubio enim hoc tantum indicare voluerunt, esse, qui ob crasum et hebes ingenium, quod inde a prima aetate prodant, ad servilia duntaxat opera, quae scilicet corpore perficiuntur, apti nati videantur, aliisque negotiis, quae consilio geruntur, prorsus sint impares (6). Recte igitur ait Quinctil. *Decl. XIII.* „ Quid autem non liberum natura genuit? Taceo de servis, quos bel-
 „ lorum iniquitas in praedam victoribus dedit, iisdem
 „ legibus, eadem fortuna, eadem necessitate natos.
 „ Ex eodem coelo spiritum trahunt, nec natura ullis,
 „ sed fortuna dominum dedit.”

V. Cum igitur de primitiva hominum aequalitate et libertate inter omnes constet, jam videndum superest, quaenam causae huic hominum in liberos et servos divisioni ansam dederint? Qua de re duplex inprimis eruditorum est sententia: altera eorum, qui Jctorum

Ro-

(4) Cf. inprimis Vir Doct. J. van Geuns in *Praef. ad Opusculum*, cui titulus *Philalethes Eleutherus over den Slavenstand*, pag. XXVII. seqq.

(5) Hutchinson *de Jure Nat.* pag. 101.

(6) Vid. Meynadier *Disf. laud.* pag. 10 et inprimis Pufend. *de J. N. et G. L.* III. c. 2. §. 8.

Romanorum doctrinam secuti, primam servitutis originem ex bellis repetunt; altera eorum, qui praecedente imprimis Pufendorffio de *J. N. et G. L.* VI. c. 3. §. 3. et 4., ex pactis descendisse servitutem putant. Priorem opinionem vehementer oppugnat Barbeyracius in notis ad Pufend. l. l. et, ut nobis videtur, summo jure. Si enim rerum humanarum naturam et modos, quibus humana omnia instituta paulatim existunt, paulo attentius consideremus; si dominii distinctionem, eamque secutam ditiorum et pauperiorum differentiam, bella diu antecessisse, satis valido argumento probari possit, vix, quoad quidem nobis videtur, aliquod dubium superest, quin, antequam de possessionibus pervim certaverint homines, ipsis possessionibus colendis, augendis et amplificandis, alio etiam modo quam proprio labore prospexerint. Illud autem ita contigisse putat Pufend. l. l. §. 4. „ Postquam, inquit, genus „ humanum numero aliquatenus auctum esset, priorum „ saeculorum simplicitatis taedium eos invasit; quo quidem factum est, ut novis quotidie modis vitae commoda amplificare et superfluas divitias colligere conarentur; quem in finem ii, qui et opibus et ingenio prae ceteris valerent, pauperiores et hebetiores „ invitasse videntur, ut certa mercede data, eorum „ operis vacarent. Quod quum dein utrisque commodum visum fuit, multi paulatim aliorum familiis sese „ adjunxerunt, ea conditione, ut hi et alimenta et alia, „ quae vitae necessitas exigeret, iis suppeditarent. Ita „ quidem servitus libero partium consensu et contractu „ *facio, ut des*, primum constituta fuit.” Liceat nobis ab hac Viri Doctissimi sententia differre, et quidem argumentis ex humana natura desumptis. Cum enim tantus innatus sit omnibus hominibus libertatis amor, ut

ut recte omnino observaverit acutissimus Hutchinson *de Jure Nat. pag. 101.* „Nemo adeo est hebes, „ aut de suis suorumque rebus adeo securus et im- „ providus, cui non sit mortis instar, se suosque ex „ aliena pendere voluntate et alterius inservire libidini, „ gravissimis contumeliis semper obnoxios;” vix ulla probabilitatis specie defendi posse videtur, homines antiquissimis illis temporibus, cum nondum adeo auctae essent et conditionum inaequalitas et vitae domesticae necessitates, quin facile sibi suisque aut venatione aut agricultura quisque prospicere posset, se suosque aliorum imperio domestico pacto subjecisse; quod ne infrequenti quidem tempore, postquam immensum in modum hominum inaequalitas, vitae necessitates earumque sibi parandarum difficultas creverant, facile quis fecerit.

VI. Aliam itaque nobis viam ingrediendam esse censuimus, qua utraque opinio quodammodo conciliaretur. Nempe cum jam pridem, quae praecedente natura introducta erant dominia et res familiares, industria vel fortuna ita augeri coepissent, ut alii aliis ditiores existerent, atque omnibus suis negotiis rite gerendis non sufficerent, hinc necessitas existit, aliorum opera et manibus in suis rebus utendi; quos cum inter pares et socios nullos invenirent, quippe quibus libertate sua nihil carius, et in venatione atque agricultura fatis contra vitae necessitates praesidii esset, alio modo huic necessitati prospicere coacti fuerunt. Huic rei optime inserviebant bella illa privatorum, quae antequam in societates coaluissent homines, ad jus suum persequendum damnumve reparandum gerebant privati; in quibus qui victor exstisset, is victo eam imponebat poenam, ut sibi in opere domestico perficiendo auxilium praestaret. Huic nostrae sententiae suffragari videtur Var-

Doc-

Doctisf. W. T. Raynal in opere egregio, cui titulus *Histoire philosophique et politique des établissemens des Européens aux deux Indes*, qui T. VI. Lib. XI. c. 24. ita loquitur: „ Priusquam ejusmodi potestas inter „ plures homines esset constituta, quae legum obser- „ vationi vacaret et privatorum civium jura perfeque- „ retur, frequentissimae erant singulorum lites, in qui- „ bus qui victor exstisset is raro deërat, quin victum „ in servitutem redigeret.” — Praeterea etiam alio ar- „ gumento nostra firmatur sententia, quod scilicet historiae nos docent antiquum illum morem quodammodo etiam post constitutas societates perdurasse; nempe, quamdiu suis quisque impensis militaret, more receptum erat, ut quos ipse captivos fecisset, eos praedae et impensarum compensationis nomine, tamquam servos retineret; postquam vero mercenaria militia invaluit, Summus Imperans captivis potiebatur. Eos autem, quos infelix certaminis eventus in servitutem ita redegisset, pacto sibi quodammodo consuluisse a veritate non videtur alienum; quippe dominorum etiam intererat, ut ipse quoque victus, nisi forte continuo illum ad opus faciendum cogere mallent, ultro se, quamvis pactis de modo operarum et de dandis alimentis conditionibus, iniquae fortunae forti subjiceret; ita ut hoc sensu dici possit, bella, nempe privata, servitutem constituisse; pacta autem dein confirmasse.

VII. Constitutam autem semel servitutem, multae sanequam causae auxerunt, confirmarunt et ita longe lateque extenderunt, ut si qua res longissimo atque communi usu justa et legitima fieri possit, solidissimis justitiae fundamentis servitus superstructa sit. Has inter causas referri imprimis merentur, crescens, quotidie conditionum et divitiarum inaequalitas et fortunae vicis-
fi-

fruidites, quae quidem, postquam aliquando viderant, ditiores et fortiores, quanto sit commodius ex aliorum operis fructus percipere, quam ipsos operi vacare; faciliorem paulatim reddebant, alios supprimendi sibi que subjiciendi viam (7). Alia etiam causa fuit in perverfis prodigisque nonnullorum moribus, quibus fiebat, ut dilapidato patrimonio et contracto multo aere alieno, aliis tum ad solvendum debitum, tum ad vitam sustentandam fierent obnoxii (8); cujus rei illustre admodum exemplum, (quod quamvis posterioris aevi sit, de populo tamen adhuc inculto narratur) refert Tacitus de *Moribus Germ. c. 24.* „Aleam, inquit, quod mirere, „ sobrii inter feria exercent, tanta lucrandi perdendive „ temeritate, ut cum omnia defecerunt, extremo ac „ novissimo jactu de libertate et de corpore contendant. „ Victus voluntariam servitutem adit” (9). Ditisima autem fervorum seges certe in bellis fuit; nam jam pridem, postquam in civitates coaluissent homines, et populi inter se de suo jure certarent, fuit haec inter beligerantes recepta lex, ut victi victoris arbitrio penitus essent subjecti, quorum itaque pars maxima durissimam semper adibat servitutem; cujus rei exemplis tota antiquitas referta est. Nullum autem fuit genus belli, quod ad constituendam et extendendam apud antiquos servitutem plus adtulerit, quam vulgatissimae illae pira-

ta-

(7) Vid. Frosfard, *la cause des esclaves nègres et des habitans de la Guinée, portés au Tribunal de la Justice, de la Religion et de la Politique, T. I. c. 1. pag. 74 et 75.*

(8) Vid. Frosfard *l. l. p. 77.* Haec res etiam apud plures populos in legem abiit.

(9) Conferri hic inprimis meretur Robertson, *History of America vol. I. pag. 395,* qui putat hunc ludendi furorem tantis fere populis incultis debere esse communem.

tarum expeditiones (10), cui inhumano mori, teste Homero, bello Trojano antiquiori, non tantum Barbari, qui littora et insulas incolebant, sed ipsi adeo Graeci, secundum Thucydidem, erant dediti. Saepius autem hi piratae in littora descendebant, pecudes auferbant et hominibus infidiabantur, vel etiam vicum aliquem aut pagum vi aggrediebantur, iisque, qui libertatem suam et bona defendere conarentur, interfectis, ceteros in servitutem redigebant; cuius rei, praeterquam apud Homerum *Odysseae Lib. XV.* elegantem etiam descriptionem invenies apud Xenophontem, in *Anabasi Lib. VI.*, aliosque auctores (11).

VIII. Conditio autem servorum apud antiquos pro diversis variorum populorum moribus, institutis et legibus admodum erat diversa. Sic v. g. multo magis modo tractabantur servi apud Aegyptios, apud Judaeos et apud Athenienses, quam in ceteris Orientis et Graeciae civitatibus (12). Apud Aegyptios templum Herculis semper tamquam asyllum servis patebat, qui heri crudelis persecutionem effugere conarentur; ita ut quamvis libertate essent privati, vita tamen impune iis eripi non posset (13). Moïses servitutem apud Judaeos, quae

(10) Vid. Frosfard *l. l. p. 79.*

(11) Vid. Frosfard *l. l. p. 80—86.* Forte quis miretur, quod etiam cultissimis hisce temporibus, eiusmodi piratas in ipsis culturae, ut ita dicam, confiniis existere Principes Europae patiantur; sed est quaedam, quae vocatur, Politica, quae non ex communi, sed ex propria securitate commoda metiens, saepe humanitatis vocem non tam opprimit, quam quidem negligit.

(12) Vid. Frosfard *l. l. p. 93—98.* Rutherford, *Tafereel der Oude Geschiedenis. T. I. p. 58.*

(13) Vid. Frosfard *l. l. p. 93.*

quae antea perpetua fuerat, temporariam fecit, idemque legem tulit, qua, si herus seruo suo per contumeliam aut injuriam vel dentem fregisset, is continuo liber esset (14). Atheniensium autem servi multo humanius, quam multorum aliorum populorum habebantur; quo etiam factum est, ut quamvis numerus servorum civium numerum longe superaret, durante tamen Republica, una tantum fuerit servilis feditio; cum contra Spartanorum Respublica, in qua crudelissime in servos saeviebatur, summo saepe periculo propter frequentes servorum tumultus fuerit exposita (15). Romae etiam, quamdiu aurea libertate ipsi cives fruebantur, multo tolerabilior et humanior fuit servorum conditio (16); sed postquam in locum libertatis universa suppressio et crudelissima successit tyrannis, jugum heris impositum etiam servos aggravavit et illi omnia sibi

in

(14) Vid. Frosfard l. l. p. 94. Potgiesferus l. l. Proleg. §. 41 et 42.

(15) Vid. Frosfard l. l. p. 97. » *Le fait suivant vient à l'appui de ce que j'ai dit de l'humanité des Athéniens à l'égard de leurs Esclaves, même quand ils furent sous la domination des Romains. Quelques Citoyens de cette superbe cité, proposèrent dans une assemblée publique, d'introduire à l'exemple de leurs mattres, les combats de gladiateurs dans leurs theatres. Un respectable citoyen, qui étoit présent, affecta d'applaudir à cette proposition; mais il pria ses concitoyens, avant de prendre une résolution décisive, de le suivre et de l'aider à renverser l'autel, qu'ils avoient erigé à la Misericorde dans un siècle ou ils étoient plus humains. Ce peuple aimable sentit cette censure indirecte, et il fût le seul entre les Grecs, qui eut le courage de ne point imiter par flatterie la cruauté de ses conquérans.* Ramsay.

(16) Vid. Frosfard l. l. p. 98.

in servos licere arbitrati sunt (17). Paucissimis igitur casibus exceptis, univérse dici potest, miserissimam fuisse servorum apud antiquos conditionem; rebus enim, homini naturae legibus propriis, injustissimo crudelissimoque modo probati, gravissimos subire labores et tyrannorum superbiae, avaritiae, crudelitati vicissim inferre cogebantur; et ab eorum mutabili saepe arbitrio atque nutu prorsus pendentes, si huic resistere aliquando auderent, severissimis et durissimis poenis compremebantur. Nulla omnino lege eorum iura, quibus eos, tanquam bruta aut homines certe vilioris speciei, plane carere plurimi censebant, desinebantur; ita ut hi miseri, nullo nomine, nullo censu gaudentes, omni ad iudicem provocatione destituti, cum neque causam suam defendere, neque legitimum patrocinium invocare possent, taciti suas misérias exantlare et inulti injustissimas vexationes tolerare cogebantur. Denique, cum ab ipsorum tranquillitate ipsius Reipublicae tranquillitas dependeret, ipsi tamen tanquam civiliter mortui fuisse habiti, et cum ex ipsorum possessione cives ingentes colligerent divitias, ipsi tamen nihil omnino possidebant; ita ut, postquam aetatem, continuis laboribus et sudoribus consumptam, transgissent, perpetuae servitutis hereditatem liberis relinquerent. (18)

IX. Haec quidem univérse fuit servorum apud antiquos conditio; quamvis enim negari nequeat, uti iam praec.

(17) Vid. Frosfard *l. l.* pag. 100—103. De conditione autem servorum apud Romanos, praeterquam alios, conferri imprimis merentur d' Arnaud *de jure servorum*, Gratama, *de huislyke slavernij bij de Romeinen* et Potgiesse-
rna *de statu servorum*.

(18) Vid. Frosfard *l. l.* pag. 92 et 93.

praec. §. dictum est, nonnullos fuisse populos, et civitates, imprimis autem multos privatos, qui humanius eos haberent et miserrimam eorum sortem, quantum fieri posset mitigarent, nihilominus tamen verum est, ita universe receptum fuisse hunc fervos vexandi morem, ut ne summi quidem et morum severitate atque clementia conspicui philosophi, uti v. g. Cato Major et Plutarchus, ab hac injustitia sese abstinerint (19); cui tamen rei imprimis etiam ansam dedisse videntur perversae plurimorum antiquitatis populorum de naturalibus iustitiae et humanitatis legibus, non omnibus gentibus applicandis, opiniones; quare etiam non absque jure inter causas, unde servitus descenderit, a celeberrimo Montesquievio (20) recensetur contentus ille, quo populus alius alium, tamquam barbarum, persequitur. Postquam autem universalis illius iustitiae atque humanitatis principia magis coeperant divulgari, sensim sensimque tristissima servorum conditio in meliorem mutata est, et plurimae, praesertim sub humanioribus Romanorum Imperatoribus latae fuere leges, quibus dominorum saevitia in immensum coërcetur et ipsi homines coeperunt haberi; quam ad rem tamen, quidquid aliter sentiant alii, nihil magis contulit quam benigna Christianorum religio (21), quae cum Codicem proderet amoris et universalis liberalitatis plenum, quo omnes homines ejusdem Dei liberi, omnes

(19) Vid. Frossard l. l. p. 107.

(20) *Esprit des Loix* L. XV. c. 3.

(21) Vid. Rever. Laget in *Troisième partie: Influence de la Religion Chrétienne sur le Bien-être de la Société Civile*, et cf. Miller, *Anglus, de Origine vitae Socialis*; nec non Philaethes Eleutherus *over den Slavenstande* Ed. J. van Geuns pag. 42, 43.

nes ejus benevolentiae pariter participes, omnes fratres, et omnes denique ad eandem felicitatem vocati esse docerentur, faustissimos certe in fervorum conditionem effectus protulit; ejus rei insignis admodum documentum est, quod in manumissionibus, quae ab eo inde tempore magis magisque coeperunt frequentari, et quatum nonnulla scripta exemplaria ad nos pervenire, hanc vulgo manumissionis causam expressam invenimus: *pro amore Dei, qui servos servavit* (22). Atque hinc quidem factum est, ut post aliquot saecula, in quibus sensim sensimque et fervorum vexationes et eorum numerus diminutus est (23), omne fere personalis servitutis vestigium fuerit sublatum, quamvis, teste Hubero (24), anno demum Christi CIOCCXII aut non multo post, Christiani se mutuo in servitutem redigere desierint.

X. Sublata servitute personali, qua servus certo homo erat proprius, non statim etiam corruiat realis illa, qua agricolae iis agris, quos colere tenebantur, erant affixi. Hujus servitutis origo ex forma regiminis feudali est repetenda, et per aliquot saecula ad nostrum usque tempus, tum in Germania, tum in Polonia, Russia aliisque Europae regionibus viguit, donec ea pau-

(22) Vid. Frotsard *l. l.* p. 104. Robertson *Car. V.* *T. II. n. 20.*

(23) Quanta fuerit in servitutes mitigandam et diminuendam expeditionum Cruciarum vis, lege apud Clar. Heeren in *Disf. de harum expeditionum effectibus*, et quod ad patriam nostram attinet R. W. J. van Pabst tot Bingerden in *Disf. cui titulus: Over den invloed der Kruisvaarten, op den toestand van de Burgermaatschappij in ons Vaderland*, pag. 54, 55 et 67—72.

(24) *Praelect. ad Inst. Tit. de Jure Personarum* pag. 16.

paucis abhinc annis, sensim sensimque mitigata (25), ac in multis etiam regionibus penitus fuerit abolita (26). Hujus tamen servitutis naturam, originem et progressionem propius indagare atque uberius exponere hujus loci non est. Qui ampliorem ejus notitiam expetit, is, praeter alios multos auctores, imprimis adeat egregium Robertsonum, in *vita Caroli V.* Vol. I. pag. 29. et seqq. et vol. II. pag. 63. et seqq. Raynal, *Recherches Philosoph. et Polit. cet. T. VI. lib. II. cap. 24.* et Frotschard, *la cause des esclaves nègres cet. T. I. c. 1. pag. 105—116.* (27).

Itaque jam servitus, nomine tenus, foret incognita, nisi immanis quorundam Europae populorum lucrandi cupido, ante aliquot saecula, personalem atque obnoxiam servitutem, crudeli atque injusto admodum more, cujus et populos summa barbarie submersos pudeat, restituisset, cujus tamen relationem, cum ad frequentem sectionem proprie pertineat, eo remisimus.

(25) Quomodo huic subditorum ordini egregie consulnerit Alexander, Benignissimus Rusorum Imperator, lege apud Bredow, *Chronik des neunzehnten Jahrhunderts An. 1804 pag. 356—359. et An. 1805 pag. 670 et 671.*

(26) v. c. in Borussia Bredow. l. l. An. 1807 pag. 506 nec non in aliis regnis Bohemia, Dania, cet. cf. Bredow l. l. An. 1805 pag. 647.

(27) Cf. etiam, quod ad nostram Patriam attinet, opus egregium viri Clar. Kluit; *Historie der Hollandsche Staatsregering*; T. IV. cap. 3.

C A P U T III.

An servitus cum justitiæ principiis possit conciliari?

I. **Q**uod Cap. præc. §. 4 et 5 diximus, omnes homines natura liberos esse atque aequales, non eo valet, quasi omnem inaequalitatem, omnem aliorum, aliis subjectionem respueret natura; quo sensu egregie observat Grotius (1): „ Nam libertas cum natura competere hominibus aut populis dicitur, id intelligendum est de jure naturæ præcedente factum omne humanum, et de libertate κατά στέρισιν, non de ea, quæ est κατά ἐναντιότητα, hoc est, ut naturæ quis servus non fit, non ut jus habeat, ne unquam serviat; nam hoc sensu nemo liber est.” Ita enim res humanae sunt comparatae, ita ab ipsa natura instituta videntur conditionum inaequalitas, ut ab alio non pendere alius non possit; quapropter, qui fortuna adversa agitati, pauperiem, famem, miseriasque patiuntur, recte et secundum naturam suas operas certa mercede, alimentis aliisque vitæ necessitatibus ditioribus collocant, et hi summo jure eorum operis, mercede data, utuntur; hinc igitur oritur quidem necessaria quaedam subiectio, non vero immodica illa servitus, quæ perfecta dici possit; non ea servitus, qua, uti inquit Cicero *Parad. V.* si dominus poscit, dandum: vocat, veniendum: ejicit, abeundum: minatur, extimescendum sit servo; sed ille status, quo honestos tantum labores

(1) *De J. B. ac P. L.* II. c. 22. §. 12.

honestis modicisque conditionibus debeat servus, et idcirco tantum debeat, quia libere eos in se susceperit vel legitime ad eos suscipiendos coactus sit. Ea demum moderata, ea legitima et naturae conveniens est servitus; quamvis verum sit, vim, metum, oppressionem, bella, superbiam et insatiabilem avaritiam atque imperandi cupidinem, jam pridem *servi* et *servitutis* nomina exosa reddidisse et horrendam significationem iis imposuisse (2).

II. Cum igitur jam inter omnes constet, quamdam esse posse secundum naturam legitimam servitutem, videndum superest, quibus tandem modis rite ac legitime constitui illa possit? Primo itaque certum est et ab omnibus probatum, ejusmodi necessitudinem consensu et pacto constitui posse, nec profecto dubium esse potest, quin recte actiones, quarum quis liber arbiter est, etiam in alienam utilitatem instituere, et sic, cum de sua quisque utilitate judicare debeat, etiam alieno arbitrio submittere possit, idque sive externum jus, sive internam obligationem respiciamus (3). Haud pauci antiquiores Ethices doctores contenderunt, servitutem cum jure naturae pugnatam. „ Verum enim vero, si servum „ cum tantum esse intelligas, qui obstrictus est ad „ utilitatem domini omnium virium contentione, omni- „ bus, quibus potest, operis promovendam, salvis ju- „ ribus naturalibus illis, sine quibus homo nec intel- „ ligi potest, tantum abest, ut haec servitus pugnet „ cum

(2) Vid. Cler. Gras in egregia *Dial. de hominum aequalitate* Edit. Belg. in 8vo. pag. 60.

(3) Vid. Pufend. *de J. N. et G. L.* VI. c. 3. §. 4. Büddaeus *Elem. Philos. Practicae* C. IV. Sect. 12. §. 1. Hoepfner in *J. N.* §. 287. aliqua.

„ cum justitia, ut potius eius, etiam *necessariae*,
 „ titulus satis justus duci possit ex jure belli reparati-
 „ vi,” sunt verba Ulrici in *Philosophia Justi* §. 435 (4).
 Limites autem hujus imperii et societatis herilis tum
 ex ipso pacto, tum ex ipsius societatis fine sunt ac-
 cernendi. Finis autem ille est, ut res familiaris domini
 promoveatur et simul servus sustentetur. Ad hunc fi-
 nem facultate castigandi et emendandi servum, minime
 autem jure vitae et necis opus est, sed nec facultas
 servum alienandi ad hanc rem requiritur. (18.)

Neque contra hanc sententiam valet, quod disputat
 Montesquievius (6), hominem liberum sese ven-
 dere non posse; imaginariam enim neque veram esse
 venditionem, qua quis eodem tempore et venditor sit
 et merx. Videlicet in eo cum celeberrimo auctore
 convenimus, hominem *sese* vendere non posse, i. e., cum
 nullo justo titulo alii cedere posse ea jura sine quibus
 homo nec intelligi potest; qualia sunt v. c. jus secu-
 ritatis personalis, jus vitam, membra, famam confer-
 vandi, et similia; sed, quominus quis quarundam
 actionum, quarum alioquin utilitas ad se pervenisset,
 arbitrium in alium legitime transferat, causam equidem
 non video; modo illis limitibus circumscribatur haec
 servitus, quos ex praedictis facile quisque definiet.

III. Utrum vero ex delicto quoque jus existat, laeso
 ad laedentem in ejusmodi statum detrudendum, omnino
 ma-

(4) Vid. Hoepfaer *l. l.* auctoresque ibi citati.

(5) Vid. Pufend. *l. l.* et notae Barb. ad eum locum et
 Buddaeus *l. l.* §. 3. Cf. etiam imprimis Ampl. Putgier-
 ferus *l. l.* Proleg. §. 24.

(6) *Esprit des Loix* Lib. XV. c. 2. Vid. etiam Froesard
l. l. T. III. p. 10; et Bayani *l. l.* T. VI. L. XI. c. 24.

major est difficultas. Negant nonnulli (7), affirmant plures, inter quos Grotius (8). Distinguendum autem nobis videtur, utrum de poena infligenda an de reparando damno agatur? Priori in causa, cum singulis natura nullum jus puniendi esse verius videtur (9), hoc negandum, in altera vero causa affirmandum putamus. Cum enim, uti supra vidimus, operae sint res in commercio, atque laesus natura jus habeat ad cogendum quocumque modo reum, ut debitum solvat, mihi quidem causa esse nulla videtur, cur non hac quoque ratione jus suum persequi laesus possit, praesertim si jus tantum externum respiciamus; licet tamen, etiamsi de morali obligatione quaeratur, siquidem ex alia causa debitum remittere creditor honestus non teneatur, mihi hoc prohibitum non videatur.

Quod autem ait Hoepfnerus (10), ex hoc jure, quo creditor debitoris operis ad debiti aequipollens utitur, non sequi, ut hic creditoris sit servus ejusque dominio subjectus, nullius hic est momenti. Recte omnino, si rigidam vocis significationem spectes, auctor ait *servum* creditoris debitorem non fieri, quippe ejusmodi servitus ex nostra opinione nullam ob causam legitime existere potest, adeoque hic intelligi nequit; sin vero iis finibus vocem *servi* includas, quibus praec. §. eam circumscripsimus, debitor, quamdiu credi-

(7) Vid. Hoepfner *de J. N.* §. 167. n. 2. et Auct. ibi citati.

(8) *De J. B. ac P. L.* II. c. 5. §. 32. Vid. etiam Wolffius *J. N. Part. VII.* §. 1094 et Schroeder in *Elem. J. N.* §. 770. hi autem de damno reparando tantum agunt.

(9) Vid. Pufendorf *de J. N. ac G. L.* VIII. c. 3. §. 7.

(10) *De J. N.* §. 167. vid. etiam Jacobus *Naturrecht* §. 597.

ditori jus fit ejus operis ad damnum reparandum pro arbitrio utendi, recte creditoris *servus* vocari videtur.

IV. Maxima autem difficultas in illa quaestione est, utrum bello etiam inter victores et captivos ea necessitudo existat, et utrum jure a victoribus captivi in servitutem redigi possint. Affirmant plerique, praesertim qui juri Romano plus quam par est tribuunt, ad vulgarem hunc Juris Romani locum provocantes: *jure hostes occidi adeoque multo magis jure in servitutem detrudi*; quasi etiam magnum victoris ~~beneficium~~ ejusmodi servitus esset. Sed omnino falsum est principium, cui doctrinam suam superstruunt; licet enim inter hostes ad mortem usque jus defensionis extendatur, inter victores tamen et victos ejusmodi jus existere, nullo quidem argumento probatum est, cum e contrario ultra necessitatem adeoque et post victoriam illud non extendi posse, a summae auctoritatis scriptoribus validis omnino argumentis demonstratum sit (11), uti et de morali obligatione nulli unquam homines, nullae gentes dubitarunt, memores illius praeccepti, quod communi assensu fere in proverbium abiit: *parcere devictis, sed debellare superbos*. — Neque etiam aliud valet argumentum jure victorem a devictis belli impensas vindicare, nam neque verum illud est contra singulos privatos bellum geri, neque si verum esset, hac in causa bellum, sed reparatio damni causa foret servitutis, quippe quae, si alia ratione impensae refundantur, ex hoc principio locum habere non posset.

Adeo

(11) Vid. Montesq. *Esprit des Loix*. L. XV. c. 2. M. de Vattel, *Droit des Gens*, L. III. c. 8. §. 152. et c. 13. §. 201. Hoepfner *J. N.* §. 167. n. 2 et J. J. Rousseau *Contrat Social* Lib. I. c. 4.

Adeo igitur naturalibus hominum jurebus repugnat mos ille victos in servitutem detrudendi, ut quicumque victor illud fecerit, is pacem numquam fecisse fed belli statum continuasse summo jure dicatur, quod et annuerunt Scythae, cum Alexandro Magno dicerent: „ Inter „ dominum et servum nulla amicitia est; etiam in pace „ belli tamen jura servantur” (12).

V. Ex iis autem, quae diximus, positisque principiis, jam satis perspicuum est, quidnam de eo sentiendum sit, quod ait Grotius (13): *Neque vero ipsi tantum servi fiunt, sed et posteri in perpetuum.* Si enim verum est, libertatem adeo cum ipsius hominis notione cohaerere, ut, qui eam ultro cedat, is simul qualitatem hominis, et humanitatis jura ipsaque adeo officia cessisse dici possit; cum nihil omnino sit, quo cedentis damnum quodammodo refarciatur, quocumque, si voluntati eligendi facultas eripitur, ipsa actionum moralitas profus erepta censenda sit; si exinde palam est, eum qui per vim alium libertate spoliatur, summo sese erga totum humanum genus crimine polluere, quo tandem nomine eos compellemus, qui aliqua justitiae specie obtegere conentur summum illud nefas, quo hominibus, antequam vita fruantur, omne vitae pretium eripitur; et ipsi necdum nati propter parentum calamitatem aeterno servitio addicuntur (14). Neque enim illud jus, quod ex prolis servilis educatione heris competere multi affirmant, eo valet, ut

(12) Vid. Quint. Curtius, *Lib. VII. c. 8.*

(13) *De J. B. ac P. L. III. c. 7. §. 2.*

(14) Vid. Montesq. *Esprit des Loix L. XV. c. 2.* — Erosford *L. L. T. II. pag. 12. et pag. 41—52.* Raynal *L. L. T. VI. Lib. 11. c. 24.*

HISTORICO-POLITICA.

sam in perpetuum sibi possint subicere, sed tantum dominus jure postulare posse videtur, ut servorum liberi sibi operas utiles in impensarum compensationem praestent; adeoque hic eadem principia de servitute ad damnum reparandum licita obtinent; scilicet quod ad jus externum attinet, nam si de morali obligatione quaeritur, contrarium affirmandum videtur.

C A P U T I V.

An servitus utilis sit?

L. Statum servitutis malum esse dixit celeberrimus Montesquievius (1), quoniam nec domino, nec servo utilis sit: non servo, quia nihil virtutis amore facere potest, atque inde colligit, quod consequenter servitus omnem virtutis et benefaciendi et merendi amorem subvertat eosque humanae societati noxios reddat; non domino, liberata enim habens in servos potestatem, omnes virtutes morales relinquere se ipsum paulatim adfuecit. Huic autem viri doctissimi sententiae non omnes accedunt, qui de servitute scripserunt, cum contra multi, etiam recentiori aevio, fuerint, qui non tantum eam non tollendam fuisse, sed in civitates nunc quoque revocandam esse censuerint (2). De
utra-

(1) *Esprit des Loix* L. XV. c. 1.

(2) Vid. Surland *Disf. de servitute in Kemp. revocanda*. Gœt. 1749.

DISSERTATIO

utraque opinione ad easque confirmandis allatis argumentis pauca pro instituti ratione disputabimus. Neque inanis haec est disputatio, quoniam, quamvis de alicujus rei injustitia abunde satis constet, eadem tamen saepe utilitatis specie commendari videtur; quam quidem etsi quis persuasum habeat, id solum, quod justum fit, vere utile esse (3), penitus tamen negligi non debet, multo minus in hac re, cum, quemadmodum in capite praeced. vidimus, aliquod certe servitutis genus ex justitiae principis defendi possit.

II. Sunt autem, quibus servitutis patroni causam suam defendere conentur, argumenta fere haec. Parum recte, dicunt, inter nos sublatam videri servitutem; speciosum charitatis esse praetextum, sed inutilem; hominum inde liberorum colluviem redundasse, quos licentia et egestas ad flagitia aut mendicitatem impulerit; coarctata familiarum ministeria, carioribus aut procacibus ingenuorum operis. Multi enim egeni, qui nunc nihil praeter libertatem possidentes, penuria pressi in omne flagitii genus ruunt, servitutis freno in officio continerentur. Alii, licet non tam malis artibus dediti, vitam per extrema ducunt, vel publice aluntur, et sic Reipublicae oneri sunt, qui propria industria vitam factis felicem agere possent, si in servitutem aliis addicerentur. Praeterea, si servitus perfecta admitteretur, servus, si perpetuo operas praestare teneretur, exinde quasi familiae membrum evaderet et ideo plus interesset heri servi vitam, membra, sanitatem tueri, quam si

(3) » Non modo plaris putare, quod utile videatur, quam » quod honestum; sed haec etiam inter se comparare, et in » his addubitare, turpissimum est." Cic. *de Off.* III. 4.

ad certum temporis spatium illius operæ ipsi locantur (4).

III. Quæ vero ab altera parte proferuntur, hæc fere redeunt; quod ex hominis natura arcte adeo cohaerent cujusque individui et libertas et felicitas, ut illa sublata, neque hæc vere existere possit; quod, quamvis multi libertatē suā abutantur et in omne flagitiorum genus ferantur, nequaquam tamen verum videatur post abolitam servitutem adeo aucta fuisse crimina; cum contra fervilis furor, diu quidem oppressus, sed continuis demum vexationibus excitatus, atrocissima sæpe perpétraverit, et immani admodum modo saevierit; quod qui libertate privatus ab alieno arbitrio pendeat, is patriam debito amore prosequi nequeat, ejusque defensionis curam bono animo suscipere numquam possit, cum illius felicitas cum salute patriæ tantum non conjuncta sit, ut potius ab ejusdem ruina pendere videatur; quod servitus ad humani generis propagationem minime idonea, eam potius semper videatur retardasse; eo enim tempore inprimis florescere coepisse Europam, quo servorum vincula fuere soluta; quod servitus, qua imperium in imperio constituitur, firmissima sæpe civitatum fulcra labefaciat, quoniam illi, qui absolutam in alios exercent potestatem, raro, inviti saltem, debitam principi præstabunt observantiam; quod denique tantum absit, ut a servis ardui molestique labores

(4) Vid. Grotius *de J. B. ac P. L.* II. c. 5. §. 27 n. 2. Pufend. *de J. N. et G. Lib.* VI. c. 3. §. 10. Barbécq. *Epist. Turcic.* 3. U. Huber *ad Inst.* Tit. *de Jure Personarum.* Surpand *in laud. Diss. Royet Diss. de natura et indole Servitutis cet.* et inprimis Porgies *serus de Statu Servorum.* Prolegom. §. 35.

melius perficiantur, ut contra liberi homines cujuscumque generis etiam gravissimis operis multo magis pares sint; uti multis facile probatur exemplis (5).

IV. Nobis autem, ut ad propositam quaestionem accurate respondeatur, triplex inprimis in censum venire videtur utilitas; potest enim servitus utilis esse respectu vel societatis, vel dominorum, vel ipsorum servorum, et pro vario, ad quod referatur, objecto, variis triplex haec quaestio dijudicanda videtur principiis. Quod igitur ad primum attinet, utrum scilicet civitatis intersit, ut quaedam incolarum pars ab alterius partis nutu et arbitrio pendeat, servilesque ei praestet operas? nobis quidem negandum videtur. Uti enim omnis contractus aliquem sibi suppositum habet finem, de quo optime et aptissime consequendo contrahentes conveniant, ita et confociationis civilis certum determinatumque finem esse, ad quem communibus conjunctisque viribus pervenire sibi proposuerint socii, nemo facile negaverit. Est autem societatis civilis initae finis hic, ut commode sibi acquirant socii quicquid ad vitae necessitates, commoda voluptatemve necesse habeant, vel quo univcrse ad vitae felicitatem indigeant; ut quisque placide suo frui tuteque justitiam obtinere queat; denique ut communibus sese viribus ab omni vi externa defendant (6). Cui quidem fini cum e regione opposita sit omnis singulorum in singulos violentia, multoque magis ea, qua sanctissima hominum jura, quae pro-

(5) Vid. Montesquieu, *Esprit des Loix* L. XV, c. 8. Brocard *l. l. T. II, pag. 148-166*. Raynal *l. l. T. VI. Lib. 11, c. 24*. Cf. Philaethes Eleutherus *over den Slavenstand* pag. 65 et 66.

(6) Vid. Vattel *Droit des Gens* L. I, c. 2, §. 15.

proprie illud *summi cuiusque* sunt, proteruntur, jam sponte sequitur omnem servitutem, in quam per vim et inviti privati redigantur, ipsius societatis commodis gravem injuriam afferre et ad ejus ruinam multum conferre; quo sensu egregie dixit recentior quidam auctor (7): „ Ex omni humani generis historia doce-
 „ mur, uti temperantiam et morum probitatem singu-
 „ lorum, ita aequitatem et justitiam publicae salutis ful-
 „ cra esse atque fundamenta; neque minus ex interna
 „ oppressione vique externa civitates debilitari atque in
 „ perniciem ruere, quam ex intemperantia aut delictis
 „ singulos homines morbos et perniciem sibi contrahe-
 „ re.” — Praeterea si vel justissimo modo servi pos-
 sint comparari, periculi tamen plena nobis videtur in
 omni civitate fervos habendi ratio; praeterquam enim,
 quod ex fervorum feditionibus, eorumque ex ipsius rei
 natura ardenti semper rerum novarum studio extrema
 perniciēs civitatibus continuo imminet, ipsa fervorum
 possessio dominorum luxum necessario ingentem in mo-
 dum augere timendamque iis potestatem praebere de-
 bet (8). Quod vero ajunt servitutis patroni, servi-
 tute sublata, pignorum flagitiosorumque hominum col-
 luvie societates redundasse, id cum Montesquie-
 vio (9) ipsarum potius legum defectui tribuendum
 censemus. Denique, ne longus sim, civitatis plus in-

(7) Meiner, *Geschichte der Wissenschaften in Praef.*, ad T. II. Vid. etiam Feder, *Untersuchungen über den menschlichen Willen u. z. w.* T. III. L. V. c. 2. §. 47. pag. 273 et 274.

(8) Vid. Montesquien *Esprit des Loix* L. XV. c. 2. 14—15, et Frosard l. l. T. II. pag. 163—165.

(9) *Esprit des Loix* L. XV. c. 8. in fine.

interesse videtur magnum civium liberorum, et si pauperum, numerum possidere, quam ingentem eorum hominum copiam suo gremio fovere, quorum, quamvis maximae sint opes, nulla tamen est cum patriae salute communio.

V. Major autem difficultas in eo est, utrum ipsorum dominorum commoda, magis fervorum an mercenariorum operis promoveantur? Universe quidem obmoveri possit, quodcumque ipsi civitati vel utile sit, vel noxium, id per consequentiam singulis quoque civibus commoda aut incommoda afferre; at vero, praeterquam quod in casu proposito haec decidendi ratio nequaquam sufficeret, quoniam incerta et nimis remota fere sunt, quae sic in privatos redundent commoda, illud etiam observandum est eandem quaestionem de hominibus in statu naturae viventibus posse moveri, inanesque tunc fore omnes ex salute societatis petitas rationes; quapropter alia hic via ingredienda est. Quoniam autem hac de re magis consulto deinceps agemus, quaestio hic tantum summatim erit attingenda; et primo quidem cum Montesquievio (10) affirmandum nobis videtur, non pessimum in dominorum mores effectum habere non posse fervorum operis utendi rationem; quoniam plerumque omnem virtutem negligunt et superbiae, iracundiae, voluptati et crudelitati sensum sensumque indulgent. Etenim sic comparata est hominum natura, ut quibus rebus abunde satis gaudeant, earum majorem fere semper copiam expetant; quibus itaque legitima primum a servis praestaretur obedientia, si desine levisimam quidem jusforum, licet iniquissima illa sint, negligentiam aequo animo ferent; at, initio quidem

(10) *Esprit des Loix* L. XV. c. 1.

dem specioso poenae praetextu, postea vero sola vexandi libidine omni saevitiae et crudelitatis generi indulgebunt; neque, qui vel levisima historiarum notitia imbutus fit, experientiam huic opinioni adversari facile affirmaverit. Dein vero ex liberorum quoque hominum operis, mercede conductis, plus commodi percepturum videtur privatorum patrimonium, quam ex fervilibus laboribus; fervus enim, per omnem vitam servitutis jugum subire damnatus, et omni emendandae conditionis spe destitutus, necessario nulla ambitione, nulla aemulatione ad opus incitatur, neque tam sua natura, quam propter ipsam suam conditionem desidia deditus est; et iusta eo tantum exsequens, quo poenam evitet, heri commoda tantum non adjuvare cupit, ut potius quantum possit ei nocere conetur. Homo vero liber, cum certo sciat se, nisi operae suae domino placeant, dimisum iri, et meliori aliquando vitae conditione utendi spe in perficiendo labore sustentatus, rationibus multo efficacioribus ad premedum accelerandumque opus impellitur; neque ei, ut officio fungatur, severi custodis vigilantia opus est (11).

Ac ne quis objiciat hisce difficultatibus obviam in peculio et manumissionis spe servis concedendis, illud ipsum, scito, nostram sententiam confirmare. Etenim nemo sanae mentis, adversae valetudinis status prae prospera valetudine, laudem idcirco extollet, quod remedia adsint, quibus morbi sanentur. VI.

(11) Vid. Frossard *l. l. T. II. pag. 179.* Cf. Brougham *de Staatkunde der Europ. Mogendheden in het besturen van Volkplantingen T. II. pag. 146* et alibi passim, et *Beknopt verslag van den staat des geschils in Engeland, nopens de afschaffing van den Slavenhandel. pag. 60 et 61.* aliique multi.

VI. Post ea, quae hoc capite exposuimus, jam nullam quis longiorem demonstrationem desiderabit, ut nihil omnino esse, quo ipsis sese servis commendet servitus, nobiscum fateatur. Quid enim aliquis aurea libertate carius, quid optabilius habere potest? qua amisit quid, quaeso, de homine remanet, nisi machina ipsis brutis inferior, cujus, nisi poenae metu vires ad opus aliquando excitentur, inanes illae jaceant atque somnolipitae? Libertas sola praeclara facinora et parit et nutrit; sine ea omnis virtus friget, merita jacent, isque qui libertatem amisit, omnia amisisse jure dici potest (12). Quod autem ajunt servitutis patroni, servum, si perfecta admittatur servitus, cum perpetuas operas praestare teneatur, inde quasi familiae membrum evadere, ob eamque causam plus interesse heri fervorum vitam, membra, valetudinem tueri, quam si ad tempus eorum operae ipsi sint locatae, id neque ad compensandam gravissimam libertatis jacturam sufficere videtur, neque, si vel sufficeret, hoc ex illo sequi; nam ex eo, quod in hoc statu obtinere ait Grotius (13), perpetuam hanc obligationem perpetua illa alimentorum certitudine compensari, quam saepe non habeant, qui diurnas operas locant, illud nobis sequi videtur, dominorum interesse, quamdiu aetate et viribus servi vigeant, ut quam plurimos ex eorum operis fructus percipiant; unde saepius fit, ut miseri hi homines laboribus, vires longe superantibus, fracti in medio vitae cursu succumbant, aut, etiamsi illos pertulerint, tandem defecti viribus, tamquam inutilis supellex, miserrimam agant senectutem,

vix

(12) » *Renoncer à sa liberté, c'est, renoncer à sa qualité d'homme.* Rousseau *Contr. Soc. L. I. c. 4.*

(13) *De J. B. ac P. Lib. II. c. 5. §. 27. n. 2.*

HISTORICO-POLITICA.

vix tantum accipientes, quantum ad aerumnosam vitam sustentandam sufficiat.

Haec de servitute in genere sufficiant; sequitur, ut jam ad propositam materiem propius accedentes, de misera eorum hominum forte loquamur, qui ad infatigabilem Europaeorum avaritiam explendam, patriae et familiae crudelissime erepti, in peregrina regione perpetuam et contumeliosam plenam servitutem subire damnantur; qua de re, quaecumque dicentur, ea facile intelligitur superstructa esse debere iis, quae hucusque dicta sunt.

SECTIONO SECUNDA.

DE SERVITUTE AFROKUM,

C A P U T I.

De origine et progressu commercii servorum AfroKum.

I. **V**ix duro servitutis jugo collum subtraxerat Europa, quin malorum, quae ipsa erat perpesa, penitus oblita, eadem vincula alii injecerit populo, qui loci regionisque natura ab injusta Europaeorum vi immunis tutusque videbatur. Atrocis quidem criminis reus habebatur, quicumque Christianum hominem in servitutem

redigeret, at vero, quominus homines, falso Dei cultui addictos, ex patria per injustissimam vim auferret jugumque iis imponeret maxime arbitrarium, nulla conscientiae religio quemquam impediēbat; quasi vero non omnes homines natura essent aequales, et quasi ingenium magis excultum justus esset alios, non simili ingenii cultura gaudentes, opprimendi titulus! Ita quidem verum est ex cupiditatibus callide virtutis principia dimensos fuisse, commodis vero officia semper accommodasse homines; ita verum est religionem, rem sanctissimam, tam crudelitatis, quam liberalitatis humanae instrumentum saepius exstitisse!

II. Qui primus ex Europaeis (1), ad eam Africae partem, unde dein vulgo ferve petiti sunt, hac mente appulit, Alonzo Gonzales (2) fuit, natione Lusitanus. Is Anno 1434, quinquagesimo octavo, ante detectam Americam, una navi, post irrita multa conamina, quippe contra adversum rapidissimumque flumen saepe luctatus, tandem Bojadorum Promontorium (3) fu-

(1) Nam diu ante *Lothanos Arabes* aliosque populos servos ex Guinea sibi comparare solitos fuisse, probasse videtur M. C. Sprengel in opusculo, cui titulus *vom Ursprung des Negerhandels*; quam tamen rem propius indagare ad nostrum propositum non pertinet, imprimis cum longe sese extendisse hoc commercium nullibi appareat, et ex recentissimis relationibus doceamur, Arabes honestius mercaturae genus cum Africae interioris incolis exercere solere.

(2) Vid. *Collection d'anciens voyages*, faite par Hackluit, Purchas cet. Cf. *Frosfard l. l. T. I. pag. 119* et *Astley's Collection V. 1. pag. 13*.

(3) Est illud promontorium longe eminens, prope terram *Ludsyam* situm, et insulae magnae Canariae objectum. Vid. *Bruzen la Martiniere's Lexicon Geographico-Criticum*, voce *Bojador*.

superavit. Inde, navi ad terram appulsa, nonnullas in interiorem regionis partem fecit excursiones, ad comprehendendos et avehendos quosdam ex incolis. Deinde, in patriam redux, anno abhinc sexto easdem regiones iterum petiit, et, impetu in incolas facto, duodecim captivos fecit, eosque ad navim adduci iussit. Postridie ex his mulierculam dimisit, sperans fore, ut haec indigenas ad redimendos captivos induceret. At vero spes eum fefellit; nam insequenti die centum et quinquaginta incolae, equis camelisque insidentes visi sunt, qui eum ad certamen provocarent; quod quum recusaret, illi, ingenti lapidum numero, uti moris erat, in navim dejecto, abierunt. Neque tamen hanc piraticam exercere desierunt Lusitani, sed alias insuper naves, militibus instructas, ad Guineae littora miserunt, ut ibi pagos vicosque repentino adventu occuparent, incolas autem in servitutem redactos, secum aveherent. Ut autem hujus piraticae fructus soli perciperent, A^o. 1481. castellum ibi muniverunt, ex quo tute cum incolis agere possent (4).

III. Lusitani, ut piraticam illam, cujus primum exemplum Gonzales dederat, continuarent, iis imprimis commodis incitabantur, quae ex captivorum Afrorum pretio, quos in Lusitania et Hispania vendebant, percipiebantur. Ante Americam detectam tamen
exi-

(4) Vid. Frosfard *l. l.* pag. 120. Bruzenla Martiniere *l. l.* voce *Guinea* et *S. Georgio della Mina*. Ex cuius tamen haud contemnenda sententia incertum est, utrum Lusitani, an vero Galli, et quidem ex oppidis *Dieppe* et *Rouen* primum illud castellum struxerint; illud constat, Lusitanos id An. 1481 et 1482 munivisse et ab eo inde tempore usui proposito illud inserviisse. Cf. etiam P. Labat et *Voyage de Desmarchais en Guinée*, T. I. p. 269. et seqq.

exiguum erat angustisque inclusum limitibus illud commercium; nam pauci admodum servi in utraque regione adhibebantur; postquam vero Hispani horrenda inauditaque caede ingentem Americanorum numerum necaverant, nova huic nefando commercio addita fuere incitamenta, novae vires. America enim, suis orbata incolis, siquidem Europaeorum aviditatem in posterum etiam expleret, novo hominum genere erat frequentanda; quem in finem Lusitani sua promiserunt officia; promissa placuerunt, et, horrendum dictu! ad prioris criminis tristes effectus tollendos, criminibus crimina cumulaverunt; quique ut aurum sibi colligerent Mexicanos, Péruanos et incolas insulae St. Domingo misere necaverant, ii, ut servos sibi compararent, Africam devastare non veriti sunt. Ab eo inde tempore specialia atque regularia fuere hujus commercii instituta, et post ea nemini dedecori habitum fuit ei, tamquam honestae, mercaturae vacare et omne studium impendere (5).

IV. Neque diu etiam morati fuere Angli, quin et aliquam commodorum, ex odioso hoc et ab humanitate abhorrenti commercio profluentium, partem ad se derivarent. Ac primum quidem, Eduardo V. regnante, A. 1551, honestae mercaturae cum incolis gerendae causa, aliquot in Guineam naves miserunt, eique propagandae atque amplificandae aliquot annos continuos non infelici succesu omnem operam dederunt (6).

Dein

(5) Vid. Frosfard *L. L. T. I. pag. 122—124.* Raynal *L. L. T. VI. Lib. XI. c. 1.* et Anderson, *Histoire du Commerce*, pag. 536.

(6) Vid. Frosfard *L. L. T. I. pag. 125 et 126.* Raynal *L. L. T. VI. Lib. XI. c. 20* et Astley's *Collection V. 1. pag. 139.*

Dein vero non amplius iisdem iusti honestique terminis eorum cum Africanis commercium circumscriptum est, cum jam circiter A^o. 1555, Anglicae navis praefectum, nomine Gainsh, funestum Lusitanorum exemplum fecerit, aliquot ex incolis per vim abstulisse legamus (7): Primum autem apud Anglos publice huic commercio sese dedisse videtur alius navis praefectus, nomine Hawkins, qui variis itineribus, quae annis 1562, 1563 et 1564, in Guineam fecit, magnum Afrorum numerum, ~~vi occupatum in vinculaque coniecit, ad S. Domingo insulam vexit, ibique insigni admodum pretio vendidit~~ (8). Hujus vestigia statim plurimi, lucrandi cupidine secuti sunt, in quibus etiam fuit celeberrimus ille Franciscus Drake, qui antequam praecellens illud circa orbem terrarum iter ingrederetur, A^o. 1567; Hawkinsium, fervorem sibi comparandorum causa Guineam petentem, comitatus fuit (9). Anno circiter 1590 a mercatoribus Anglicis, qui hanc mercaturam facerent, societas fuit inita, quo majores ex ea fructus perciperent; eaque societas ab Elisabetha tunc temporis Angliae Regina, summis privilegiis fuit donata, sed continuis Lusitanorum et Hollandorum, qui illud commercium unice ad se pertinere existimabant, injuriis fuit exposita (10). Anno demum 1660, pace Bredana, Anglis concessum fuit libere sibi, in colonia-

(7) Vid. Frosard *l. l. T. I. pag. 127*, Astley *l. l. V. 1. pag. 148 et seqq.*

(8) Vid. Frosard *l. l. T. I. pag. 130 et Naval Chronicle pag. 55.*

(9) Vid. Frosard *l. l. p. 131.*

(10) Vid. Frosard *l. l. p. 135 et 136*, Baynal *l. l. T. VI. Lib. XI. c. 20.*

niarum usum, servos ex Africa comparare, quam quidem libertatem ut perpetuo sibi fervarent, in multas arces et castella extruenda magnas impensas fecere (11). Post pacem, quae A°. 1763 condita fuit ducentae circiter naves quotannis ex Anglia Guineam petebant, et 40,000 servos exinde in colonias Occidentales Americamque Septentrionalem transportabant (12). Quae autem hoc commercium plurimum exercebant, tres imprimis fuere urbes, Liverpoolis, Londinum et Bristolium (13), quarum illa dimidiam, hae alteram dimidiam partem navium; huic commercio inservientium, armabant, tantumque hae naves ex Africa servorum numerum; educere solebant, ut non tantum Anglicarum coloniarum necessitatibus abunde satisfacerent, sed multos adeo, tum Gallis, tum Hispanis venderent (14).

V. Nostrates quoque, postquam continuis bellis, quae cum Lusitanis gesferant, multis horum possessionibus erant potiti, huic sese commercio dederunt. Primo quidem liberum ejus exercitium Societati, quae dicebatur Indiarum Occidentalium, concessum fuit; eaque varia in Africa castella munivit, quibus hanc mercaturam tuerentur et omnes aliarum gentium naves, quae eidem vacare vellent, accesu arcerent; quoniam quod antea soli Lusitani in Africam jus possederant, variis id victoriis ab hac gente reportatis, ad se transiisse

cen-

(11) Vid. Frosard *l. l.* p. 136.

(12) Vid. Raynal *l. l.* c. 20.

(13) Hic jam tempore Anglo-Saxonum frequentatum servorum forum fuisse refert Wilhelm. Malmesbr. de vita Sti. Wulfstani, *Episc. Wigorn. in Anglia, Sacra* V. II. p. 258. Cf. M. C. Sprengel, *vom Ursprung des Negerhandels* p. 6.

(14) Vid. Frosard *l. l.* T. I. pag. 137. Raynal *l. l.* T. VI. *Lib.* XI. c. 20.

tenebant. Cum vero illud monopolium haud magna Societati commoda afferre videretur, focii ei renuntiaverunt et post annum 1730 (15), omnibus Reipublicae civibus suis impensis fervos sibi ex Africa comparare permisum fuit. In Hollandia provincia nonnulli mercatores nefandum hoc commercium exercuerunt; sed inprimis illud in Zeelandia viguit, ejusque exercendi causa triginta circiter naves quotannis in Guineam mittebantur, quibus sex vel septem millia fervorum in Occidentales Reipublicae colonias transvehebantur (16). Illud commercium deinde in variis Reipublicae conditionibus magis minusve floruit, et postquam continuis bellis, quibus nostra Patria in sui ruinam per viginti et quod excurrit annos, fuit implicita, omni fere maris, omni coloniarum usu fuit interclusa, penitus jacuit, et post restitutam pacem plane abolitum fuit.

VI. Quamvis dubitari nequeat diu ante Anglos, Gallos Guineae oras visisse, et illi vel ipsis Lusitanis priores, jam A^o. 1366, quasdam ibi possessiones habuisse dicantur (17); illud tamen constat eos deinde hanc navigationem neglexisse, et multis demum post annis, quam in insulas, Antilles ante Americam, vel Insulas ad ventum (18) vulgo vocatas, colonias misissent

(15) Vid. H. Breugham, *de Staatskunde der Europeesche Mogendheden nopens het besturen van Volkplantingen*, *Verf. Belg. T. I. p. 398.*

(16) Vid. Frosard *l. l. T. I. p. 134 et 135.* Raynal *l. l. c. 20.*

(17) Vid. Bruzen la Martiniere, *Lexicon Geographico-Criticum*, voce *Guinea et S. Georgio della Mina*, auctoresque ibi citati. Cf. autem inprimis Robertson *History of America V. I. pag. 38.*

(18) Vid. Bruzen la Martiniere *l. l.* voce *Antilles*, qui amplam earum insularum descriptionem exhibet.

sent, A°. scilicet 1621 eorum vexilla ad Guineam sese ostendisse (19). Exigui autem primo momenti hoc Gallorum commercium fuit, sed, instituta A°. 1664 Indica Societate, majora cepit incrementa; hujus Societatis privilegia dein ad aliam societatem transiere, Senegalis dictam, quae deinceps aliqua privilegia cum Societate Guineae communicare coacta fuit; haec autem societas nomine societatis *Asiaticae* innotuit, quo nomine significabatur jus, a Rege Hispaniae huic Societati concessum, servos in Hispanorum colonias importandi (20). Anno 1713 Gallia hoc beneficio destituta est, idque pace Ultrajectina ad Anglos fuit translata, hisque iterum ademptum fuit pace Aquisgranensi A°. 1748; a quo tempore omnibus ea libertas concessa fuit (21). Gallia autem tantum servorum numerum, quanto Colonis opus haberet, sibi ipsa acquirere nunquam potuit; nam, cum quotannis servis 36,500 indigerent, fere numquam tamen supra tredecim aut quatuordecim millia navibus Gallicis advecta sunt; ceteros Angli adportabant (22). Flagrantibus bellis inter Galliam et Angliam, prorsus interruptum fuit hoc Gallorum commercium; qui tamen restituendo pace Parisiensi A°. 1814 aliquam operam dederunt; de quo suo loco dicitur.

VIII.

(19) Vid. Raynal *l. l. c.* 20.

(20) Vid. Frosfard *l. l. T. I. pag.* 137. et H. Broug-ham, *de Staatskunde der Europäischen Mogendheden nevens het besturen van Volkplantingen Vers.* Belg. *T. I. pag.* 519 et *T. II. pag.* 118. Cf. etiam Robertson *History of America* V. II, *pag.* 408. Almon's *Collection of all the British Treaties of Peace, Alliance and Commerce* V. 1, *p.* 83. et M. C. Sprengel *vom Ursprung des Negerhandels* *p.* 56.

(21) Vid. Frosfard *l. l. T. I. pag.* 138.

(22) Vid. Raynal *l. l. T. VI. Lib. XI. c.* 20.

VII. Exiguam quoque hujus commercii partem Dani sibi sumserunt, ejusque exercendi privilegium ante centum fere et quinquaginta annos peculiari societati concesserunt, quae tamen ita crudeliter hoc privilegio abusa fuit, ut eam suppressere mox necesse fuerit habitum, et A°. 1754 omnibus mercatoribus liberum ejus commercii exercitium datum sit. Duo tantum paulo munitiora castella Dani in Africa possederunt, Christianoburgum (23) et Friedericoburgum (24), quae hanc mercaturam tuerentur; quae tamen nunquam magnopere floruit, cum ad summum 1200 servos ex Africa quotannis illi avexerint (25).

Hispanorum hic vix mentio facienda est, quoniam eorum fere haec fuit ratio, ut tum a Lusitanis, tum a Gallis, tum ab Anglis, eos servos, quibus in Colonis indigerent, acciperent. Aliquando quidem necessarium servorum numerum ipsi sibi comparare studuerunt, cumque in finem in pactone Ais 1777 et 1778 inita, duarum insularum, prope Guineam sitarum (26) possessionem, sibi a Lusitanis stipulati sunt (27); sed varias

(23) Vid. Bruzen la Martiniere *l. l.* voce *Christiansburg*. Situm est illud castellum in ea parte Guineae, quae *Aurea Ripa* vulgo vocatur, prope *Accaram* et Hollandorum Castellum *Crevecour*.

(24) Vid. Bruz. la Mart. *l. l.* voce *Friedrichsburg*. Situm in eadem Guineae parte, tria circiter milliaria ab Hollandorum castello *St. Antonio*. Cf. *Tilforladelig, Eftterretning om Negotien paa kysten Guinea* pag. 6. et *M. C. Sprengel, vom Ursprung des Negerhandels*, pag. 30.

(25) Vid. *Frosfard l. l.* pag. 139. *Raynal l. l. T. VI. Lib. XI. c. 20.*

(26) Nomina sunt *Anaboe* et *Fernando del Po* vel *Poo*.

(27) Vid. *Raynal l. l. c. 20. et T. IV. Lib. VIII. c. 32.*

nas ob causas haec res sperato successu caruit, et priori ratione Coloniarum necessitatibus providere coacti sunt (28).

Neque etiam hic memorare necesse est Fridericum Gulielmum, Brandenburgi principem, A°. 1682, mercatorum Hollandorum consilio tria in Guineae ea parte, quae Aurea Ripa dicitur, castella aedificasse, ut exinde fervorem commercium sui cives tute inciperent, cum tantopere huic consilio successus defuerit, ut Rex Borussiae A°. 1717 Societati Hollandicae eas possessiones vendiderit (29).

VIII. Vidimus itaque quomodo, quibusque ex causis horrendum illud fervorem commercium exstiterit et increverit; vidimus, quinam populi ei inprimis operam dederint; vidimus denique quomodo sapientissimos et maximi animi Principes non tantum illud non suppressere atque vetare, sed privilegia adeo ei concedere, non puduerit: superest, ut subductis, ut ita dicam, specialibus rationibus, magis generalem criminum, quibus sese in Africa polluerunt Europaei, tabulam exhibeamus. Stupendi adeo fuere hujus commercii progressus, insigniter adeo aucta fuit victimarum, Europaeorum avaritiae immolatarum, copia, ut si Frosardus (30) fides habenda est, illae jam A°. 1788 decies millies mille; et si Isertio, Dano in Itineris, ab A°. 1783 ad 1787 in Guineam facti, relatione credimus,

(28) Vid. Brougham *l. l. T. I. pag. 520.*

(29) Vid. Raynal *l. l. c. 18. et l. 8. c. 22.* Cf. Barbot's *account on the West-Coast of Africa* in Astley's *Collection* V. 6. p. 432. Paulus *Preussische Staatsgeschichte* p. 483. M. C. Sprengel *vom Ursprung des Negerhandels* pag. 25.

(30) Vid. *l. l. T. I. pag. 125.*

mus, octo decies millies mille hominum numerum excesserint (31), cui si addatur, quod de sex fervis, in interioribus regionis partibus captis, unus vix vivus ad naves perveniat, ceteri in ipso itinere succumbant (32), vix credi potest eo crudelitatis homines potuisse procedere; sed

*quid non mortalia pectora cogis
Auri dira fames?*

Neque tamen veritati vim intulisse laudatos scriptores, credere fas est, legentibus, numerum fervorum A^o. 1768 ex Africa exportatorum 104,000 fuisse; quorum 59,300 ab Anglis; 23,500 a Gallis; 11,300 a Nostratibus; 8,700 a Lusitanis et 1,200 a Danis fuere avecti; et ab eo inde anno aestimatum fuisse 100,000 fervis quotannis in Coloniae opus esse (33).

Crudelissimae huic humani generis devastationi aliquem tandem modum adhibendum fuisse, omnes, qui humanitatem non penitus exuerint, facile convenient; verum magis etiam hujus rei necessitas palam fiet, si, quinam ille populus sit, quem avaritiae suae victimam fecere Europaei; et quomodo hi atrocissimam per se rem omni tyrannidis et saevitiae genere, atrociorum etiam reddiderint, breviter pro instituti ratione exposuerimus.

C A

(31) Vid. V. D. J. van Geuns in *Praef. ad opusculum*, cui titulus: *Philalethes Eleutherus over den Slavenstand*, pag. XXXVIII in notis.

(32) Vid. Frosfard *l. l.* pag. 125.

(33) Vid. Frosfard *l. l.* p. 139. et Wilberforce *Lettre à Talleyrand* pag. 13. M. C. Sprengel, *vom Ursprung des Negerhandels* pag. 25. et *Tafereelen van West-Africa* pag. 3.

CAPUT II.

De Guineae regionis natura et moribus incolarum.

I. **C**um multi saepe servitutis patroni fervorum Afro-
rum commercium eo defendere conati sint, quod adeo
hebetes et stupidi illi sint, et quod in patria sua vi-
tam agant adeo miseram et aerumnosam, ut, qui vel
cum libertatis damno e patria auferat, is insigni eos
beneficio affecisse censendus sit; operae pretium est,
inquirere, utrum veritati haec sint consentanea, an ve-
ro malae causae pejor defensio?

Sub Guineae nomine nobis innotescit tota illa re-
gionum series, quae in Occidentali Africae parte juxta
Oceanum Atlanticum in 1200 milliarium longitudinem
porrigitur. Fuere autem multi, qui crederent, Gui-
neam magnum regnum esse, uni Principi subjectum et
eadem regiminis forma usum; quod quidem veritati
adeo est contrarium, ut potius multifaria Imperia hoc
nomine insigniantur; ipsi autem incolae nomen hoc ig-
norent (1). Hujus regionis initium est a flumine Se-
negali, quod est gradu decimo septimo latitudinis sep-
tentrionalis (2); hinc ad Gambiam amnem et ad pro-
montorium Sierrae Leoneae usque ducenta et quinqu-
ginta sunt millia; ab hoc promontorio ad ultimos

Im-

(1) Vid. *Bosman Epist. I. et VIII. Bruzen-la Mar-
tiniera. I. L. voce Guinea.*

(2) Vid. *Frosfard l. I. T. I. pag. 143.*

Imperii Beninensis fines quingenta numerantur milliaria; haec autem littorum series, qua orae maritimae, quae Malaguetae, Eburnea, Aurea et Servilis vulgo dicuntur, et vastum Beninense Imperium continentur, ab occidente in orientem declinat; unde iterum versus meridiem vergens, in quadringentorum milliarium longitudinem extenditur et Congi atque Angolae regna amplectitur. Eousque faeva Europaeorum tyrannis evagata fuit; quae enim sequuntur Caferorum et Hottentottorum regna fervorum mercatores numquam adierunt (3).

II. Vastissimam hanc regionem a variis populis inhabitari, quibus praeter atrum colorem et miserrimam, qua ab Europaeis damnantur servitutis fortem, nihil commune est, per se patet; quapropter, si justam hanc regionum notionem comparare nobis velimus, finguli populi, quantum fieri possit, separatim sunt considerandi.

Intra Senegal et Gambiam flumina tres infimis populi occurrunt; quorum haec sunt nomina: Foutles, Foulis vel Peus vocantur, qui utramque Senegalis ripam incolunt; Jalofs, Oualofs vel Yolofs mediam partem occupant; et Mandingos ad Gambiam habitant (4). Quod ad priorum terram attinet, hanc fertilissimam esse et Senegalis ripas omnibus rebus, quibus tum ad vitae necessitates, tum ad voluptatem opus est, abundare, viatores narrant (5). Incolae colore sunt subnigro, corpore laboribus apto,

et

(3) Vid. Frosfard *l. l. T. I. pag. 144.*

(4) Vid. Frosfard *l. l. p. 148.*

(5) Vid. Frosfard *l. l. T. I. pag. 145. Voyages de Winterbottom. pag. 211. seqq.*

et moribus, licet parum cultis, ritibus tamen et affabilibus; ingenio veloci et prompto; venationi autem, musicae et sationi inprimis dediti sunt. Religionem sequuntur Muhamedanam, eamque sancte observant, quapropter, cum parum vini et spirituum, quibus alios populos allicere solent Europaei, usui indulgeant, exiguus ex hac regione fervorum est proventus (6).

Eodem fere coeli tractu gaudent Jalosi; tanta autem hoc regnum gubernatur sapientia, ut propter receptas perversas de hisce regionibus opiniones, omnem cogitationem illud excedat (7). Sunt autem Jalosi colore nigriori, quam populi vicini, et corpore formoso, robusto et agili; sed sunt ignavi et vindictae cupidi, inque commercio fallaces magis furando, quam honesto labore sibi prospicere student; neque etiam sese invicem vendere religio illis est (8).

Mandingorum vero natio, tum propter egregiam loci naturam, tum propter humanos et excultos incolarum mores, maxime est conspicua. Solum adeo est fertile, ut fere sponte sua et sine ulla humana cultura omnia, quae ad vitam sunt necessaria, proferat; utque omnia, quae ibi vel feruntur vel plantantur, ad maturitatem perveniant et in suo genere sint perfectissima; totaque regio ita amoena deliciisque plena, ut pulcherrimae tabulae egregiam admodum effigiem exhibeat (9). Incolae piscatui, agriculturae, et nonnullis etiam artibus

va-

(6) Vid. Frosfard *l. l.* p. 151 et Labat *Afrique Occidentale* V. III. p. 171. *Voyages de Golberry* p. 93.

(7) Vid. Frosfard *l. l.* p. 148. *Astley's Collection* V. II. p. 358. *Busching Geograph. T. X. pag.* 418.

(8) Vid. Frosfard *l. l.* p. 149. *Voyages de Golberry* p. 93.

(9) Vid. Frosfard *l. l.* T. I. *pag.* 151—157. quaeque ibi exponuntur Andansonis, doctissimi Galli, relationes.

vacant; multi Arabicam linguam legunt et scribunt, et aliqua etiam Astronomiae notitia inabuti sunt; mercaturam autem, imprimis cum interioribus Africae partibus, haud exiguam exercent, et nonnullas etiam colonias eo deduxerunt (10). Religionem Muhamedanam profitentur et multos habent sacerdotes, quorum humanitatem et probitatem admodum extollit Jobsonus, qui aliquamdiu in hisce regionibus commoratus fuit (11). Moribus denique sunt placidis, facilibus, et satis excultis; laboribus magna diligentia et industria incumbunt; hospitalitatis officiis egregie funguntur et fidem religiosissime servant. Pauci admodum servi ex hac regione avehuntur, cum sese invicem in servitutem non redigant, et atrocis tantum criminis rei pro servis vendantur (12).

III. Eadem fere, quae de Mandingorum regno diximus, etiam de terris circa Sierram-Leonam promontorium sitis, dici possunt. In ejusdem nominis flumine multae inveniuntur insulae, quae solo gaudent admodum fertili, ejusque ripa meridionalis arboribus altis atque opacis est confita; piscium captationi, quibus idem flumen abundat, incolae plurimum vacant. Coeli tractu sereno et corporum sanitati propitio haec regio, praeter ceteris Guineae partibus, gaudet. Incolae corpore sunt formosissimo, agili et robusto, animo intrepido, moribusque placidis et admodum sobriis; ser-

VO-

(10) Vid. Astley's *Collection* IV. II. pag. 290. *Besching* l. l. pag. 430—432.

(11) Vid. *Frosterd* l. l. p. 153.

(12) Vid. *Frosterd* l. l. p. 153. *Voyages de Colberry* pag. 146.

vorum commercium nequa hic valde frequens est, cum pauci tantum bello capti, et qui, criminis rei ad mortem damnati sunt, Europaeis venduntur (13).

Orae illius maritimae, quae sub nomine Malaguettae (14) innotuit, initium est a Rio-Sesto promontorio, eaque, una cum Ora, quae dicitur Eburnea, in centum et quinquaginta miliarium longitudinem extenditur. Utraque regio solo gaudet fatis fertili, oryza imprimis et omnis generis oleribus abundanti; aliquam mercaturam incolae cum Europaeis exercent, sed ea est exigui momenti, propter metum, quem frequentes Europaeorum perfidiae, qui sub honestae mercaturae praetextu homines ad naves alliciebant et deim vi auferabant, his iniecerunt; et hinc factum est, ut a nonnullis dicerentur esse crudeles, feroces, antropophagi, et Europaeos eo consilio ad sua littora allicere, ut eos interficerent et devorent; cum contra summae auctoritatis scriptores indolem placidam, honestam, pacificam et industriam his attribuant; quamvis iidem negare nequeant, eos saepe, injuriam ab aliis acceptam ulcisci cupientes, in infantes Europaeos impetum fecisse (15).

IV. Sequuntur ora maritimae, quae Aures et Servilia vulgo dicuntur, quarum fere eadem est natura, siue soli indolem; siue mores incolarum respicias. Utraque regionem insigni fertilitate et coeli tractu jucundis-

(13) Vid. Frotsard *L. I. T. I. pag. 157—159.* Raynal *L. I. T. VI. L. XI. c. 11.*

(14) Nominis origo est a pipere oblongo, quod ibi invenitur. Vid. Frotsard *L. I. T. I. pag. 160.*

(15) Vid. Frotsard *L. I. T. I. p. 160—164.* Wm. Smith *pag. 111.* Bosman *in Guineae descriptione pag. 439—441.* Busching *Geograph. T. X. p. 496.*

lino gaudere (16), unanimis vox est omnium viatorum, qui de hisce terris scripserunt; bellis autem continuis, quae ad comparandos servos ibi gerebantur, terrae illae devastatae sunt et magna incolarum pars periit; cum antea, teste Bosmanno (17), urbes invenirentur aedificiorum numero et civium frequentia conspicuae, quorum magna pars variis artibus vacabat. Incolarum autem plerique piscatu et mercatura vivunt; insigne, imprimis servorum, commercium olim gerebatur circa Akram sive Acaram (18), ubi tum Angli, tum Hollandi munitum castellum possidebant.

In Ora maritima Servill conspicuum imprimis est regnum Juidae, quod inter amoenissimas et speciosissimas orbis terrarum regiones esse referendum, plurimi viatores conveniunt (19). Incolarum singularis laudatur industria et diligentia, quae quidem tanta est, ut ipso messis die alia iterum semina terrae mandent, nullam neque sibi neque agris quietem vel intermissionem concedentes. Dividitur hoc regnum in viginti sex Provincias, quarum quaeque suam habet Praefecturam, in cuius locum filius, eoque deficiente alius ex cognatis succedit; Rex omnibus praestet, et perpetuam regni sedem in urbe habet, quae Sabi vel Xavier vocatur;

(16) De insigni hujus regionis fertilitate, ad colonias dimittendas Europaeos maxime invitante, videatur opusculum nuper editum, de *Goudkust, 's Gravenhage en Amsterdam bij de Gebroed. van Cleef*, 1815. Cf. etiam Wilberforce *Lettre à Talleyrand* p. 85.

(17) Vid. Frosfard *l. l. T. I. pag. 165.*

(18) Vid. Bruzen la Martinière *l. l. voce Acara.*

(19) Vid. Frosfard *l. l. T. I. pag. 168* et auct. ibi laudat. Cf. etiam John Welsh, *Voyage au Benin*, V. III. pag. 14.

tur; olim autem tota regio: ita pagis vicisque erat co-
 perta et tanto incolarum numero frequentata, ut unius
 urbis, agris cultissimis, tanquam hortis, intercifae ima-
 ginem exhiberet (20). Forum, quod quarto quoque
 die in urbe Sabi habebatur, ingenti mercatorum nu-
 mero frequentari solebat; in quo, praeterquam alias
 multas merces, multi etiam servi venibant, quorum
 quidem numerus quoque mense mille excessisse dicitur.
 Mores incolarum admodum sunt culti, et aliquam etiam
 urbanitatis ac venustatis speciem habent; dicuntur au-
 tem esse valde fallaces, adeo ut nullam, aliam, Eu-
 ropaeum maxime, decipiendi, opportunitatem omittant;
 libidini adeo indulgentes, ut ad profectam aetatem vix
 quisquam perveniat (21), ludendi denique furore adeo
 abripiuntur, ut uxorum, liberorum et tandem suam ip-
 sorum libertatem incerto aleae jactui temere exponant (22).

Orae Servili adjacet vastum Beninense Imperium, re-
 gionis natura et soli fertilitate a praecedentium regionum
 haud multum discrepans. Mores incolarum eximie lau-
 dentur; dicuntur esse sinceri, honesti et industrii; et,
 quamvis avitis institutis anxie adhaereant, legitimis ta-
 men rationibus sibi persuaderi facile sinunt; Europaeos,
 Lusitanis exceptis, humaniter excipiunt, et Hollandos
 imprimis plurimi faciunt, fidemque iis datam religiosis-
 sime servant (23). Furtum, homicidium et adulterium
 poenis severissimis coercentur, quibus fit, ut rara ho-
 rum

(20) Vid. Frosard *l. l. T. I. pag. 169.*

(21) Vid. Besman *Epist.* VIII, et X. et Brazon la
 Martiniere *l. l. voce Guinea.*

(22) Vid. Frosard *l. l. pag. 171.*

(23) Vid. Frosard *l. l. pag. 175.* Cf. John Welsh,
Voyage au Bénin pag. 202.

rum criminum apud eos sunt exempla (24). Omnes servi, qui in hoc regno venduntur, aut quibus ipsi incolae utuntur, peregrini sunt, paucis exceptis; propter aliquod crimen ad servitutem damnatis; quos tamen peregrinis, ut avehantur, vendere nemini licet. Hoc legis beneficio feminae excluduntur, quae pro maritorum arbitrio venduntur et transportantur, more in Africa vulgo recepto, quo exiguus sexui femineo tribuitur honos (25). Tanta est regis potentia, ut uno die 20,000 milites colligere, et brevi admodum tempore exercitum 180,000 militum comparare possit (26); est autem regni sedes in spatiosa urbe, quam nonnulli Doni vel Boni, alii *Benim* vocant (27), quatuor a mari miliaribus, ad ejusdem nominis fluvium sita; ubi tum aliarum rerum, tum maxime fervorum amplum satis commercium exercetur; cum fervorum numerus, quos sibi Angli ex hac regione deducere solebant, quotannis octo millia excessisse dicatur (28).

V. Regna, ad meridiem aequatoris sita, in quibus fervorum commercium exercetur, Loango, Congo, Angola et Benguetla vocantur (29).

LEON

(24) Vid. Frosfard *l. l.* pag. 175. Barbot pag. 358 et 359 et Busching *l. l. T. X.* pag. 577 et 578. Cf. de poenarum severissimarum in populos minime excultos effecta Robertson, *History of America*. V. II. pag. 309.

(25) Vid. Frosfard *l. l. T. I.* p. 176. et Auc. cit. Hübner *Geograph. T. II.* Cf. etiam Raynal *l. l. T. VI. Lib. XI.* c. 16 in medio.

(26) Vid. Bruzen la Martiniere *l. l.* voce *Benim*.

(27) Vid. Frosfard *l. l.* p. 179 et Bruzen la Martiniere *l. l.* voce *Benim*.

(28) Vid. Frosfard *l. l.* p. 180.

(29) Vid. Frosfard *l. l.* p. 181.

Lovango sive Lovango solo gaudet adeo fertili, ut si bene excolatur, agricolae ter quotannis messem faciant. Incolae corpore sunt robusto et excelso, animo generoso, at moribus parum cultis. Mulieres plerumque fervilia opera praestant et ipsius Regis agros colere tenentur (30). Rex ingentes possidet exercitus, sed milites sunt parum strenui et nulla disciplina continentur; piscatu incolarum plerique victum quaerunt. Est etiam hic quaedam religionis Christianae professio, tum a Lusitanis, tum a Bernardino, Missionario ex Hungaria, A.º 1663 introducta (31), at plerique valde superstitioni sunt (32).

Congo itidem regnum est solo satis fertili praeditum, et multis imprimis fluminibus intersecisum, quorum praecipua sunt Berbela, Aquelonde, Combanfou, Quincon et Boquian, quae omnia undas suas in Zairam amnem effundunt (33). Religionem Christianam multi profitentur, et hinc metropolis, quae olim Congo vocabatur, hodie *St. Salvador* dicitur; est autem haec urbs satis ampla et in summo montis cacumine sita. Incolae mercaturae, agriculturae, rei pecuariae et piscatui vacant; nonnulli etiam vino ex palmis colligendo student et aliquot artes exercent; sunt autem in universa pacis amantissimi; moribus mitibus et honestis et humaniter peregrinos excipiunt; at vini spi-

(30) Vid. Frosfard *l. l.* p. 182. Bruzen la Martiniere *l. l.* voce *Lovango*.

(31) Vid. Bruzen la Martiniere *l. l.* R. Labat, *Relation de l'Ethiopia* *T. III.* p. 430 et *Lettre du P. Bernardin de 25. Jul. 1763.*

(32) Vid. Frosfard *l. l.* *T. V.* p. 182.

(33) Vid. Bruzen la Martiniere *l. l.* voce *Congo*.

ritumque, quos ab Europaeis accipiunt, intemperantissimi (34).

Angolae regni, quod ab incolis proprie Dongo, ab aliis etiam Ambande vocatur (35), eadem est quae Congi soli fertilitas et multa, etiam fluviis illud irrigatur. Metropolis St. Paul de Loanda vocatur, et factis magna est; ei autem obiacet insula amoenissima, ubi multi Lusitani villas possident (36). Incolae admodum sunt inertes, unde fit, ut multi sese pro servis vendere cogantur; debitores etiam eorumque liberi a creditoribus in servitutem rediguntur; unde amplum est ex hac regione servorum commercium, quorum numerus ad 15,000 quotannis ascendisse dicitur (37).

In regno Benguelae tandem aëris temperies insalubris est et pestilentissima, qua cum omnes herbae et plantae afficiantur, peregrini, huc appulsi iisque pasti, mortem plerumque vel gravem sibi morbum contrahunt. Neque tamen pestifer hic coeli tractus impedivit, quominus Europaei, horrenda avaricia impulsus, hinc etiam saepe magnum servorum numerum coemerint, quorum major pars ex interiori regione advahitur; ceteri vel veri vel ficti criminis causa condemnati, aut etiam bello capti sunt. Tanta autem hic est marum corruptela, ut, maritorum consensu, multae mulieres alios viros alliciant; allectos vero in maritorum potestatem tradant, qui occasione data impune hos miseros vendunt (38).

VI.

(34) Vid. Frosfard *l. l.* p. 185 et 186. Bruzen la Martiniere *l. l.* et Auct. ibi citati.

(35) Vid. Bruzen la Martiniere *l. l.* voce *Angola*.

(36) Vid. Frosfard *l. l.* p. 185.

(37) Vid. Bruzen la Martiniere *l. l.* voce *Angola*.

(38) Vid. Frosfard *l. l.* T. I, pag. 186 et 187.

VI. Haec fere sunt, quae de Guinea regione et de moribus incolarum dicenda habui; pauca quidem, sed quae ad finem propositum, ut scilicet appareat ea, quae super hac re narrata saepius fuere, veritatem longe excedere, satis quantum sufficiunt. Verum forte quis quaerat, utrum igitur ea, quae, egregio inprimis Frosardo duce, a nobis data est Guineae descriptio, adeo certa sit atque probata, ut, tamquam ex tripode, diversam omnem sententiam rejicere nobis liceat? quapropter, ut major dictis fides addatur, pauca hic ad stabilendam Frosardi relationem subijcere, a re haud alienum fore duximus. Ante omnia quidem observandum est, admodum vaga atque incerta ea esse, quae a vulgo viatorum de hac Africae parte solebant narrari, cum plerorumque in interiorem regionum partem excursions et investigationes iisdem limitibus circumscriberentur, quos Europaeorum castella tormentorum vi tuebantur (39); deinde cum plerique vel ipsi saevae Europaeorum tyrannidi essent impliciti, vel saltem eam legitimam putarent, hinc factum est, ut vel numquam vel nulla certe veritatis investigandae cupiditate, moribus incolarum describendis et dijudicandis curam impenderint (40). Quae cum ita sint, a veri-

(39) Vid. J. G. Herder, *Ideen zur Philosophie der Geschichte der Menschheit* T. II. c. 4. pag. 46.

(40) Vid. Herder *l. l.* p. 47. Non possum, quin hunc locum hic adjuvum: »Zudem scheint auch, inquit, bei den Nationen, die wir schon kennen könnten, das Auge der Europäer viel zu tyrannisch sorglos zu seyn, um bei schwarzen elenden Sklaven, Unterschiede der Nationalbildung auszufahndeln zu wollen. Man betrachtet sie wie Vieh und bemerkt nicht im Kauf nur nach den Zähnen.»

tate haud aberrare videtur Frosfardus, dicens (41); pleraque, quae de incolarum ferocia, stupiditate, fallacia, furacitate et intemperantia vulgo narrantur, vel admodum amplificata et supra omnem fidem exaggerata, vel, si vera sint, usui et consuetudini, quae iis cum Europaeis, omnis saevitiae, crudelitatis et intemperantiae exempla abunde praebentibus, intercessit, adtribuenda esse (42); idque eo magis verum videtur, cum haec aliunde morum, Europaeorum commercio corruptorum exempla defint duculentissima, et eos impio populos, quorum artificissima est cum Europaeis conjunctio, nec amplissimum commercium, hisce vitis maxime esse infectos, fatis constat. Cui si addamus ea, quae a Frosfardo narrantur, cum iis, quae a saepius laudato Bruzen la Martiniere, in *Lexico Geographico-Critico* ex variorum auctorum scriptis sunt collecta, fatis congruere, et tum ab Isertio, Dano (43), in itineris sui relatione, tum ab aliis multis recentioribus viatoribus (quorum catalogum et compendium exhibet opusculum cui titulus, *Tafereelen van West-Afrika* cet. Roterod. 1815) confirmari, mihi quidem nullum dubium superest, quin verissima sint, quae de placida, sincera et hospitali indole et moribus jam aliquantum excultis incolarum Guineae a Frosfardo referuntur. Quod si qui sint, quorum praepudicatis opinionibus ita occupata mens est, ut ad eorum ingenia, vel ut verius dicam, ad eorum pectora, veritati via interclusa sit, horum gratia

(41) Vid. Frosfard *l. l. T. I. p. 188.*

(42) Vid. Wilberforce *Lettre à Talleyrand* pag. 86. *seqq.* et Auct. ibi cit.

(43) Vid. Vir. Doct. J. van Geuns *l. l. Praef.* pag. XXXVIII, in nota.

ta, duo etiam, gravissima argumenta subiciunt; primum est, quod a duobus auctoribus, alterq. Arabe, altero Mauro, qui ante introductum in Africam fervorum commercium vixerunt, hi populi dicuntur esse pacis amantissimi; numquam inter se bella gerentes, neque etiam aliis bellum inferendi causa suos limites transgredientes; sed omnem curam pecudum conservationi, et agrorum culturae impendentes (44). Alterum argumentum est, quod post vetitum ab Anglis fervorum commercium, jam per aliquot annos emendatae incolarum conditionis et emolitorum morum mundi in Angliam advenerint (45). Quae cum ita sint, illi homines nobis videntur omnia tur-

(44) Vid. Frosterd l. l. T. I. p. 118. *Voyages en différentes parties de l'Afrique, par François Moore*. Cf. etiam *Voyage de M. Smith* p. 266 nec non Brougham, *Beekopt verslag van den staat des geschils in Engeland nevens de affchaffing van den Slavenhandel*, pag. 99—101.

(45) Vid. *The speech of Sir Samuel Romilly, in the House of Commons on the 28 June 1814 on that article in the Treaty of Peace which relates to the slave Trade* pag. 30. — Locus hic est: » While he [Mr. Wilberforce] » was every year receivng from Africa and from the West- » Indies, the tidings of the improved condition of his fe- » low-creatures; while he saw in Africa the dawnings of » a civilization, the calm and the tranquillity which reigned » in their contented villages; the instruction which was af- » forded to their youths; and the comforts which the light » of true religion was every day diffusing among the nati- » ves cet. » Cf. etiam ipse Wilberforce, *Lettre à Talleyrand* p. 54. seqq. qui etiam ibidem p. 61. errorem Auctoris Gallici, nomine Malouet, refutat; quo inductus in opere *Discours sur les Colonies* dixerit, celeberram viatorem Mungo Parkium Afros descripsisse tamquam in patria sua vitam aegrotis inferrantem; tam plane contrarium ex ipsis scriptis constat.

turpi errore miscere, qui ad nonnulla factitiae, et cuius exempla ipsi Europaei prius dederant; vindictae cupidinis, at continuis et gravissimis injuriis lacescit; et impetentiae, ac cui, ut maleficia sua tutius perprobrarent, ipsi Europaei magna incitamenta addiderant; qui, inquam, ad horum vitiorum nonnulla indicia provocantes, haec his propria esse ac quasi innata, tenere censent.

CAPUT III.

De modis, quibus servi solebant comparari et transportari.

Etsi praecedente capite diximus, in nonnullis Guineae partibus fora inveniri, ubi publice exponuntur et venduntur servi, ne tamen quis credat, prius hoc usitatum fuisse, quam Europaei variis artibus quorundam incolarum cupiditates excitavissent; excitatas autem se expletores, certo servorum numero, promississent, et eo crudelitatis hos homines sensim perduxissent, quorum, quippe parum excultorum, libidines eo vehementiori aestu flagrant, ut earum explendarum causa hi miseri, omni humanitate exuta, civium suorum libertati insidias struere et vel vi ex media familia auferre, atque in vincula coniectos Europaei tyrannis in perpetuam servitutem tradere, non amplius pepercerint. Neque haec privatorum tantum, sed etiam principum ac regum ratio fuit, qui, donis a navium Praefectis acceptis, hos li-

bere in subditos grasari sinebant, vel etiam ipsi victis, fervorum comparandorum causa, bella inferebant; aut, horrendum dictu! in infantes saepe urbis alicujus vel pagi, eorum dominio subiecti, incolas inopinata vi irruerant, et ligatos ad Europaeorum naves vehi jubebant (1).

Servitus porro in Guinea passim quidem recepta fuit, sed nequaquam ea, qua servus, tamquam instrumentum heri, ab ejus arbitrio penitus penderet; cum illi, qui propter egestatem aliamve causam in servitutem inciderit, duplex tantum omnis incumberet, alterum, ut tempore belli heri fortunam sequeretur; alterum, ut, cum frumenta sererentur, operas ex heri arbitrio praestaret, salva ceteroquin libertate personali (2). Neque magis verum est, quod adeo temere multi affirmant, parentes in Guinea liberos suos vendere solere; nam, si vel tanto barbarici et crudelitatis nonnulli parentes fuerint, hujus tamen exempla adeo rara sunt, ut eam rem, bona quidem fide, tamquam more receptam considerare nequeamus; causa vulgatissimae hujus narrationis, praeterquam in nonnullorum mala fide, qui ad defendendum atrocissimum facinus argumenta colligebant speciosissima, etiam in eo quaerenda est, quod ex loquendi usu, in pluribus Guineae regionibus recepto, *fili* et *servi* no-

(1) Vid. Wilberforce *Lettre à Talleyrand* p. 95. Jegg, et auct. ibi cit. aliique, imprimis Brougham *Beknopt verslag van den Staat des geschils in Engeland nopent de affchaffing van den Slaavenhandel*, pag. 102 et 105.

(2) Vid. Bruzen la Martiniere l. l. voce *Guinea*, et *Epist. X.* nec non *Lettre à son Excel. Monf. le Prince de Talleyrand Périgord et. au sujet de la traite des nègres par Wm. Wilberforce* et. Q2. 1814. pag. 5, 29 et 81.

nia eodem significato gaudent; hinc multi, hac ambiguitate decepti, servos a mercatoribus Africanis advectos, horum filios esse putarunt (3). Ceterum a summae etiam auctoritatis scriptoribus, harum regionum incolae dicuntur esse liberorum amantissimi; neque tantae atrocitatis crimen ab aliis, quam a perditissimis hominibus committi (4).

II. Quae cum ita sint, videndum jam nunc est, quibus potissimum artibus usi fuerint Europaei, ut ingentem illum fervorum numerum, quo Coloniae Occidentales quotannis indigebant, sibi compararent; quem in finem duplicem imprimis viam eos ingresses fuisse invenimus; alteram, qua ipsi, ad littus appulsi, excursionibus in interiorem regionis partem factis, omnes incolas, quibus vi vel dolo possent potiri, auferre, et vinculis coactos in naves trahere solebant; alteram, eamque longe feracioram, qua variis artibus, aut donorum lucrive illecebris, ipsos indigenas excitabant, ut civium suorum libertati, ad Europaeorum avaritiam propriasque cupiditates explendas, sacrilegas injicerent manus. Fuere autem, uti §. praec. diximus, hujus tyrannidis instrumenta non tantum privati, sed etiam, et maxime quidem, reges, quos rerum, luxuriei et omnis generis intemperantiae infervientium, cupiditate prius infectos, nulla dein, ad harum possessionem sibi comparandam, conscientiae religio impediabat, quominus in atrocissima facinora ruerent.

Int:

(3) Vid. Frosfard *I. I. T. I. pag.* 196.

(4) Vid. Frosfard *I. I. T. I. p.* 194 et 195. Astley's *Collection* V. II. *pag.* 269 et 275. Bosman *pag.* 340. J. Barbot *pag.* 326 et Eques Sloane, in *Introductione ad Historiam Nat. Jamaicae*, nec non Demarchais *Voyage en Guinée pag.* 20.

Initio quidem servi, uti supra vidimus, ab ipsis Europæis solebant comparari, qui, tamquam isti antiqui aevi piratæ, navibus, militibus instructis, ad illas oras appellebant et excursionibus, incolarum auferendorum causa, unice vacabant. Postquam vero, crescentibus harum expeditionum periculis, earum quoque commoda valde erant diminuta, mercatoribus indigenis fervorum quaerendorum curam reliquerunt Europæi, ipsi interim aliarum rerum mercaturam cum incolis fecerunt. Quamvis autem propter majorem semper a littore distantiam, qua tum propter incolarum metum, tum propter continuos raptus servi essent quaerendi, nautæ, quippe ad navium stationem manere coacti, ipsis auferendis minus possent vacare, nullam tamen unquam occasionem omiserunt, qua sive vi, sive dolo, numerum fervorum necessarium citius possent complere; qua in re tanta sæpe perfidia usi fuere Europæi, ut, nisi gravissimæ essent, quibus ea probetur, auctoritates, ipsi de illius veritate in humani generis honorem admodum dubitandum esse, censeremus (5).

III. Quorum autem ope ad servos comparandos imprimis uterentur Europæi, illi sunt, qui *Mercatores nigri* vulgo dicti, ab Europæorum tyrannorum commercio eum crudelitatis et sævitiae animum contraxerunt, ut jam ipsis praeceptoribus superiores nullum non exquisitissimæ tyrannidis genus exercuerint, et ab honestis occupationibus jam adeo abhorreant, ut, cum per aliquot annos, propter bellum in Europa gestum, fervorum commercium aliquantum esset intermissum, quaer-

(5) Exempla vid. apud Frosterd *l. l. T. 1. p. 206—212.*
et Clarkson's *Essay on the impolicy of the slave-trade*, passim.

renti Europaeo, quidam horum mercatorum dixerint: se, si diutius hoc bellum flagraret, eo miseriarum perductum iri, ut victum manuum operis quaerere forent coacti (6). Fuit autem hoc fervos in Europaeorum usum comparandi negotium olim haud difficile; quoniam, appropinquante navi ad fervos quaerendos, hi mercatores indigenae, certo signo dato, se vel fervos quosdam habere, vel eorum habendorum idoneam esse oportunitatem, significabant; quo intellecto, scapha actuaria a navi dimittebatur, qua, adjuvantibus remigibus, fervi vincti in navim ferebantur; postquam vero, crescente quotidie fervorum quaerendorum usu, incolarum prope mare habitantium numerus sensim erat diminutus, et qui supererant, aliorum exemplis docti, ab horum infidiatorum vi sese magis tuebantur, fervi, quorum majorem semper copiam Europaei petebant, longinquius erant arcescendi. Ab eo inde tempore multae inter hos hominum negotiatores initae fuere societates, quo tutius et facilius magnum fervorum numerum ex disitis regionibus colligerent; quarum societatum ea plerumque erat ratio, ut non ipsi longissimum iter facerent, (multi enim fervi advehuntur ex regionibus, ad quadringenta usque miliaria a mari distantibus), sed ut certo tempore locoque eos ab aliis ejusmodi mercatoribus, qui et ipsi idem hoc commercium facerent, acciperent (7). Ab his mercatorum societatibus centum saepe vel plures etiam fervi advehuntur, et, si naves commercii faciendi causa adsunt, protinus in eas dejiciuntur; sin minus, in iis castellis, quae ad mercaturam tuendam in his oris Europaei muniverunt, vincti custodiuntur.

In

(6) Vid. Falconbridge *Chronicle* pag. 9.(7) Vid. *Faouard L. I. T. L. pag. 201.*

In ipso autem itinere, ne servi mercatorum numerum longe superantes, libertatem suam facile vindicent, hoc ferme modo, cavetur; cujuscunque servi collo furca lignea circumdatur, quae octo vel novem circiter pedes longa, a parte posteriori unco ferreo est ligata, ita ut qui eam ferunt caput suum inde expedire nequeant; furcae cauda, ex ligno admodum gravi confecta et deorsum lapsa, servus ita premitur, ut licet brachia habeat pedesque liberos, neque procedere, neque furcam sublevare possit; in itinere autem furcae sublevantur et unaquaeque praecedentis servi humero alligatur; primi furcam unus e mercatoribus gestat; noctu vero cujuscunque servi manus suae furcae alligantur; quo statu neque aufugere, neque alio modo libertatem vindicare potest (8). Modi autem servos rapiendi et ligandi, usitatissimi hi sunt: nonnulli mercatores in silvis vel juxta vias latitantes, innocuos viatores, inopina vi aggrediuntur; alii in campis, oryza coöpertis, occulti pueris insidiantur, avium fugandarum causa huc a parentibus misis; alii iterum juxta aquae purae fontem adfidentes, in agricolas sitim expleturos incidunt; alii denique semitam occupantes, qua duo pagi conjunguntur, agricolas domum redeuntes vel amicos virosos invadunt; (9) quibus modis, si sufficientem servorum nu-

(8) Vid. Raynal *l. l. T. VI. Lib. XI. c. 17.*

(9) Vid. Frossard *l. l. T. I. p. 199* et Clark-son *l. l. passim. Cf. etiam M. Park Voyage en Afrique p. 293. et Wilberforce p. 83. nec non Palifot, Baron de Beauvois, Refutation etc. pag. 19. » Le commerce des esclaves se procuroit un nombre considérable d'hommes par une manoeuvre, qui étoit devenue si fréquente, qu'on avoit trouvé une expression particulière pour la désigner [panyar]. Elle signifioit un enlèvement furtif de nègres » de*

numerum [sibi comparare nequeunt, domos etiam, in deviiis sitas, irruentes, omnibus inhabitantibus compedes injiciunt. Pretii loco pro servis advectis hi mercatores ab Europaeis gerras vel nugas, utensilia, aut pannos etiam et linteamina, orientalia dicta, atque ad gentis morem coloribus picta, sclopeta, gladios, pulverem nitratum, aliasve ejusmodi res; plerumque autem liquores inebriantes accipiunt (10).

* E bellis quoque, quae inter se gerunt harum regionum principes, haud exiguus est fervorum provectus; quapropter ad haec bella, quippe sibi quaestiuosa, excitanda Europaei multum semper curae adhibuerunt (11). Ambitione quidem et imperandi cupidine, uti plerique terrarum orbis reges, ita hi quoque principes saepe agitati bella vicinis suis inferunt sanguinolenta, in quibus qui gladium victorem effugiunt, ii ad servitutem damnantur. Sunt autem bella his causis suscepta adeo rara, ut, nisi captivos faciendi vendendique desiderium crebriorem iis gerendis ansam praebere, vix ea inter modos acquirendi servos possent recenserent. Tandiu enim pax vulgo servatur, quamdiu fervorum editores non inveniuntur; simulac vero naves commercii fervorum faciendi causa advenerint, multi horum principum, exercitu comparato, propinquam aliquam regionem invadunt, et, urbibus incensis agrisque de-

» de tous les pays, de tous les rangs et de toutes les classes, de tout sexe et de tout age.» Annales des Voyages et, par Malte-Brun T. XXIV. Cahier 70.

(10) Vid. Frotsard l. l. p. 264 et *Journal de Paris*; 30i Julii 1788;

(11) Vid. Brougham, *Beknopt verslag van den staat des geschils in Engeland nopens de affschaffing van den Slavenhandel* pag. 101 et 102.

E

devastatis, incolas captivos auferunt, nisi ipsi, cupiditatis suae victimae, iis, quibus compedes voluerant injicere, praeda fiant (12). Tanta autem atrocitate haec bella geruntur (13), ut de decem ab utraque parte mortuis, vix unus in servitutem redigatur (14); cujus rei ratio in aperto est: postquam enim Europaeae navis adventus caedium et rapinarum signum apparuit, alii, navi appulsa, ad impetum in alios faciendum, alii ad repellendam aggressorum vim sese accingunt; unde fit, ut summa utrimque pertinacia pugnent, illi, ut eo majorem capturam faciant; hi, ut potius sub hostium acervo sepeliantur, quam ut in altus hostis manus incidant, eo magis extimescendi, quo exquisitiore crudelitate in victos saeviat; quippe qua, quamvis vita relicta, millies quotidie miseris acerbissima subeunda mors est.

V. Est etiam alius servos acquirendi modus, ex eo tempore, quo Africae oras visitare coeperunt Europaei, introductus, qui, cum justitiae, rei sanctissimae, colorem indutus est, eo magis ab humanitatis sensu abhorret, quo scilicet criminis accusati et convicti in servitutem damnantur et Europaeis traduntur. Ante hoc tempus aliae poenae in Guinea fuere usitatae, sed, postquam ex subditorum condemnatione aliquem fructum percipere coeperunt principes illi crudelissimi, poenae non tantum fuere mutatae, sed etiam multo frequentiores

(12) Vid. Frosfard *L. L. T. I. p. 217. Wilberforce Lettre à Talleyrand p. 80 et 82.*

(13) Exempla perquam horrenda lege apud Frosfard *L. L. T. I. pag. 218—228 et Clarkson L. L. passim.*

(14) Vid. Frosfard *L. L. p. 230.*

res illae evaserunt (15); nam, cum leges sanctitæ principum cupiditatibus non satis migrarentur, alia multa crimina fuere excogitata, aliaque leges poenales latæ, quibus in poenis pro criminis gravitate applicandis subtilissima cernitur gradatio, crudelissimo tyranno digna; graviora quippe crimina non tantum privatione libertatis rei puniuntur, sed masculi quoque ejus familiae, sed omnis familia, sed omnes amici ob unius delictum in perpetuam servitutem saepius damnantur; quin imò eo crudelitatis progresum fuisse ajunt regem quemdam Kayori regionis, ut propter unius hominis crimen omnes pagi alicujus vel vici incolas in servitutem damnaret (16).

Hi quidem servos acquirendi modi sunt usitatissimi; sunt etiam alii, quorum tamen propter minus frequentem usum hic mentio facienda non est (17). Est, quae dicta sunt, quamvis tabulae teterrimae tantum exhibeant adumbrationem levisimam, eo tamen sufficiunt, ut horrore percutiant animos cogitantium, homines Christianam religionem et omnem humanitatem profectos, tanta crimine non tantum tolerasse, sed etiam commisisse et commisisse.

VI. Quae autem in servis comparandis conspicua est atrocitas, eadem, tum antequam patriam relinquunt, tum

(15) Vid. Brougham *Beknopt Verslag van den staat des geschils in Engeland nopens de affchaffing van den Slaavenhandel* pag. 105 et Auct. ibi citati.

(16) Vid. Frossard *l. l. T. I. pag. 236—240*. Clarke *son l. l. passim*, et *Voyages en différentes parties de l'Afrique*, par François Moore. *Annales des Voyages, de la Géographie et de l'Histoire* par M. Malte-Brun *T. XXIV. Col. 79. pag. 77—97*.

(17) Vid. Frossard *l. l. T. I. pag. 241—244*.

tum in ipso ad Americam trajectu, miserissimam per se horum hominum sortem, majoribus etiam et gravioribus malis aggravat. Quomodo, pecudum agminis instar, ab inhumanis conductoribus agantur et vexentur, supra vidimus; postquam autem ad maris littora advennerunt, si quidem naves in promptu sunt, statim in eas dejiciuntur; sin vero, in carceres contrahuntur, Europaeorum castellis adjunctos, quorum adeo arctus est ambitus et pestifer aër, ut multi morbis, quos tum hic, tum etiam ex prioris itineris malis vel ex exiguis et pessimis, quibus aluntur, cibis contraxerint, succumbant, priusquam navibus possint imponi (18). Quos vero fatum iniquum ipsi trans mare trajectui reservavit, iis ejusmodi fors subeunda est, qualem ne summum quidem et facundissimum eloquii flumen verbis exprimere possit (19). Tanta enim est plurimorum hominum in exiguum admodum spatium coacervatio, tanti tamque contagiosi, qui tum ex hac coacervatione, tum ex aëris et ciborum defectu existunt morbi, tanta nautarum Europaeorum inauditae et furibundae in miserimos Afros crudelitatis indicia, tanti denique tamque horrendi desperationis, ad quam homines continua mala passi et omni melioris conditionis spe destituti necessario rediguntur, effectus; ut si tristem,

lu-

(18) Ejusmodi carceris descriptionem lege apud Frosterd
t. 2. p. 246 et Barbot pag. 170.

(19) » Une minute, un instant passé dans la chambre des
» Esclaves, durant la traversée, serviroit mieux la cause de
» l'humanité que la plume d'un Robertson ou toute l'é-
» loquence du Sénat Britannique." Stanfield. » Nulle
» part sur la terre il n'est possible de trouver plus de mi-
» sère concentrée dans un plus petit espace, que dans l'in-
» térieur d'un navire négrier." Wilberforce Lettre à
Talleyrand pag. 23.

lugubrem, flebilem malorum, quibus agitari, jactari, vexari humanitas possit, congeriem adspicere quis cuperet, ei navis adeunda foret, qua ab hominibus homines longe a patria auferuntur, ut in peregrina regione perpetuam et durissimam subeant servitutem (20). Naves, hunc in finem adhibitae, ambitu et magnitudine sunt diversissimae: aliae enim sunt, quibus ad 1200 usque, aliae, quibus 30 tantum servi vehuntur (21). Olim quidem magnis plerumque navibus utebantur mercatores; postquam vero, ob majorem, unde servi erant quaerendi, distantiam et crescentem interim mercatorum eos petentium numerum, naves non ita protinus poterant compleri, damna, quibus propter diurnam ad Guineae oras commorationem, erant expositi, eos permoverunt, ut minoribus navibus plerumque uterentur; ita ut maximus servorum, una navi exportatorum, numerus 700 vel 800 non excederet; pleraeque autem naves 200, 300 vel 400 servos continerent. Servi, postquam naves conscenderunt, statim in ea cava vel cellas distribuuntur, quae ad servos recipiendos sunt instructa; horum autem cavorum altitudo trium, quatuor, vel quinque pedum est, prout ipsae naves majores sint vel minores; nullorum tamen tanta est altitudo, ut erecto corpore stare; plerorumque ea, ut ne federe quidem possint servi (22). Hisce autem carceribus miseri illi homines, gravibus praeterea catenis toto itinere onerati, ita coacervati includuntur, ut singulis locus relinquatur octodecim pollicum quadratorum (23);

(20) Flebilem ejusmodi navis descriptionem exhibet Fros-
lard *l. l. T. I. pag. 258—270*,

(21) Vid. Froslard *l. l. pag. 254*.

(22) Vid. Froslard *l. l. T. I. pag. 254—257*.

(23) Vid. Froslard *l. l. pag. 255 et 257 in nota*.

aliquando etiam ne hoc quidem spatium liberum habent, sed alii aliis superiunguntur. Ne vero pestiferae exhalationes et morbi inde orti omnem fervorum numerum consumant, tempore sereno aliquot diei horas illi in navis tabulata adducuntur, qua in re tamen summa adhibenda est cautio et rigidiorum etiam vinculorum coercitio requiritur, ne miseri, ad extremam desperationem lacesciti, seditione facta, tyrannis suis potantur, vel in mare sese dejiciendo sibi consulant, utriusque enim rei exempla quam plurima adfunt (24). Tempestate autem exorta, omni aëris meatu sunt interclusi, et si navis salus continuos nautarum labores requirit, per aliquot saepe dies omni cibi et potus usu privantur; quibus, post sedatam tempestatem, restitutis, horrendum sese hominum vel mortuorum vel expirantium vel fame confectorum et ad extremum furorera adactorum spectaculum intuentibus offert (25).

Haec

(24) Vid. Frosard L. I. pag. 273—283 et Auâ. ibi cit. Clarkson, Falconbridge, Benezet cct.

(25) » *Peut-on enfin ouvrir la grille, que le mauvais*
 » *tems avoit obligé de fermer? alors quel aspect déchirant*
 » *pour un coeur sensible! Ici, un monceau de ces pauvres*
 » *Nègres que la chaleur excessive et les vapeurs mephitiques*
 » *ont fait tomber en défaillance, ou auxquels elles ont*
 » *donné la mort. Là, d'autres infortunés qui profitent d'un*
 » *reste de force, pour se presser du côté de l'air qu'on vient*
 » *de leur rendre. Ils ouvrent la bouche pour le respirer, et*
 » *souvent ce passage subit leur devient fatal. Et combien*
 » *d'obstacles n'ont-ils pas à vaincre, avant de parvenir à*
 » *l'ouverture. Ils doivent passer sur le corps de leurs cama-*
 » *rades évanouis ou expirans. Ils doivent entraîner avec eux*
 » *celui, qui partage leurs chaînes et qui peut-être à déjà*
 » *succombé sous le poids de ses maux. Ils n'ont pas assez*
 » *de force pour le soulever, et retenus par ce fardeau, ils*
 » *subissent bientôt le même sort etc.* — Frosard L. I. pag. 269 et 270.

Hæc quidem præcipua mala sunt, quæ fervorum ad colonias tractum speciatim comitantur; sunt etiam alia plura, quæ tamen non tam ipsi navigationi, quam atrocissimo illi crudelitatis ingenio, cui tum temporis imprimis indulgere solent navium præfectus, originem debent (26); quibus tamen omnibus fit, ut in hoc itinere, quod fere duorum mensium est, quarta pars fervorum, quibus naves oneratae sunt, vulgo interire aestimetur (27).

C A B U T IV.

De conditione fervorum in Colonis.

I. In exponenda fervorum conditione in ipsis Colonis, duò nobis imprimis consideranda videntur: primum, quænam sint leges, quibus necessitudo, quæ inter dominos et servos intercedit, et potestatis herilis limites fervorumque jura determinentur? alterum, quænam sit legum latarum observatio et quomodo potestate sua in servos domini utantur? Utrique quæstioni pro instituti ratione breviter admodum respondeamus; illud ante omnia observantes, hanc brevitatis rationem, cui

(26) Exempla perquam horrenda lege apud Frosfard *l. l. T. I. pag. 264* in nota 278—292 et vid. Auc. cit. Clarkson et Benezet. Cf. etiam Wilberforce *Lettre à Talleyrand pag. 94 et 95.*

(27) Vid. Frosfard *l. l. pag. 254* et Simonde de Sismondi *l. l. pag. 34.*

nobis propter amplissimam materiem et angustos Academiae Dissertationis limites imprimis consulendum est, nequaquam permittere, ut differentiis, quae inter variorum populorum, Colonias in America possidentium, leges de servis latas intercedunt, aliquam curam impendamus, sed tantum quaedam generalia instituta esse exhibenda, ex quibus de principiis possit judicari, quae in ferendis hisce legibus Europaei secuti sint.

II. Quamvis leges non directis verbis servos rebus annumerent, nisi in eo casu, ubi de rebus, quae in bonorum communionem cadunt, agitur (1), in omnibus tamen actis, quae ad mercaturam spectant, mercibus illi aequiparantur et bestiis aliisque rebus saepe postponuntur. Si enim navis advenerit, servis onerata, illi, uti ceterae res, publice exponuntur, et omnes contractus emtionis, venditionis cet., uti de omnibus aliis rebus, ita quoque de servis initi, validi sunt, et vim legum intra contrahentes habent (2); eodem modo, quo de aliis rebus, ita et de servis, navibus transvectis, cavetur ab illis Societatibus, quae *Asiurantie-Compagnien* dicuntur (3), et in publicis au-

ctio-

(1) *Code Noir, Art. XLIV.* » Les esclaves sont meubles » et comme tels ils doivent entrer en la Communauté. »

(2) Quibusnam actionibus, ab humanitate abhorrentibus, hae venditiones saepe ansam dederint? lege apud Frosard *I. l. T. I. pag. 309—318.* Cf. etiam *Notes de Pinkard sur les Indes-Occidentales V. III. pag. 353—358.*

(3) » On regarde en général les esclaves transportés, comme une propriété particulière dont les Capitaines n'ont à rendre compte qu'aux armateurs, ainsi que d'un ballot de marchandises. On les assure comme tout autre effet commercable, et s'ils sont traités avec une inhumanité qui leur cause la mort; si dans la crainte d'une révolte, au milieu d'une tempête, ou dans une disette de vivres,

tionum annunciationibus rerumque vendendarum enumerationibus, post utensilia, jumenta, aliaque fervorum venalium numerus vulgo recensetur (4). Hinc facile intelligitur servos nullo civitatis jure gaudere, et omnibus omnino privilegiis, quorum in Societate recte constituta cujuscunque status et conditionis subditi sunt participes, esse exclusos; neque in judicio stare, neque in causis civilibus sive actoris sive rei partes sustinere eos posse (5): quin imo, vulgatissimae illae de abjecta fervorum conditione opiniones, quibus fiebat, ut illi tamquam bruta, vel homines certe vilioris generis vulgo fuerint considerati, tantum etiam in legibus ferendis valuerunt, ut in Constitutionibus Barbadi insulae, Anglis subiectae, illi viliores esse dicantur, quam quorum causae ab iisdem ac ceterorum civium iudiciis dijudicentur (6). Deinde, quamvis mari-

mo-

» on en jette une partie dans la mer, la question est simplement débattue civilement entre le propriétaire et la Compagnie d'assurance, sans que le Capitaine soit poursuivi criminellement. Que les spéculateurs soient indemnisés, et peu importe la perte de la cargaison. Ils en voient bientôt un nouveau vaisseau courir les mêmes hasards et commettre les mêmes injustices." Frosfard l. 1. T. I. pag. 287 in nota.

(4) Vid. Frosfard l. l. T. I. pag. 342 et 343 in nota. Gazette de la Martinique du Jeudi 29 Mars 1781.

» Le Sieur Jean Martin devant partir pour France, a à vendre 50 bêtes à corne, 50 moutons, 21 esclaves." cet.

(5) Code Noir, Art. XXXI. *» Les esclaves ne peuvent être partie ni en jugement, ni en matière civile, tant en demandant, qu'en défendant, ni être partie civile en matière criminelle."*

(6) *» Les esclaves ne méritent point, à cause de la basse condition, d'être jugés par un Juri composé*

monia inter se ineamt servi, leges tamen cum juris effectum, quo patriam potestatem in liberos, in matrimonio procreatos, exercerent, iis ademerunt; unde fit, ut ne consensus quidem in liberorum matrimonia dare possint; sed haec omnia ab heri arbitrio pendebant (7); quo palam est, Legislatores eos considerasse, tanquam fabros, quorum opera heri uterentur ad alias machinas, perficiendis laboribus aptas, procreandas, nulla ratione habita eorum jurium, quae omnibus parentibus aequa manu concessit natura.

III. Jura, quae leges dominis in servos concesserunt, duplicia sunt; alia enim personam servorum spectant, alia bona. Quod ad priora attinet, jus quidem vitae et necis iis concessum non fuit; at vero, ne domini potestate fere absoluta; quam in servos exercent, abutantur, parum anxie cautum est; nam primo, cum servo contra Europaeos, multoque minus contra ipsum herum testimonium dare non liceat (8), facile omnino dominis est, remotis tantum omnibus Europaeis, impune in servos saevire; dein ipsae quoque leges dominorum impunitati admodum favent (9),
nam

*» si de douze de leurs pairs ou d'habitans du voisinage
» comme les sujets de la Grande-Bretagne et d'ailleurs rien
» ne doit retarder l'exécution, quand un Nègre a commis
» un crime horrible." Const. CCCXXIX. Vid. Frosard
l. I. T. II. pag. 76.*

(7) Code Noir, Art. X. Vid. Frosard l. I. T. II. p. 56.

(8) Vid. H. Brougham, *de Staatskunde der Europaeische Mogendheden, nopens het besturen van Volkplantingen* T. I. pag. 422 et Auct. cit.

(9) Code Noir, Art. XLII et XLIII. *» Il est permis
» aux maîtres de faire enchaîner et de battre de verges les
» esclaves qui seroient en faute; mais il est défendu de les*

nam five feverissimis et crudelissimis poenis succubissent servi, leges impunitatem dominis concedebant, vel saltem eam consequendi facillimam praebebant viam; sive extra poenam ex solo faciendo animo treus servum interfecisset, multa admodum exigua soluta, omne crimen expiatur; tantusque erat fervorum contentus, ut qui etiam servum alienum occidisset, is poena tantum pecuniaria nec non damni reparatione induplex multaretur (10). In constituendis autem poenis, quibus servi fugitivi, vel seditiosi, continentur, aut Europaeis insidiantes, tum a iudicibus, tum ab ipsis dominis aliisve, possint coerceri, legislatores feverissime et crudelissime fuere versati (11); levissimorum enim criminum,

„ mutiler ou de leur donner la mort sous des peines, qui
 „ ne sont pas stipulées. — Si un maître ou un commandeur
 „ tue un esclave à lui soumis, il doit être poursuivi cri-
 „ minellement; mais s'il y a lieu de l'absoudre, il n'est
 „ pas besoin de lettres de grace." In insulae Barbadi
 Conf. CCCXXIX: „ Si un Nègre ou un autre esclave dans
 „ le cours de la punition, qui lui est infligé par son maître
 „ ou par son ordre, pour s'être enfui ou pour toute
 „ espèce de mauvaise conduite ou manque de respect envers
 „ ledit maître a le malheur de perdre la vie ou un mem-
 „ bre, son maître ne sera dans le cas de souffrir aucune
 „ amende quelconque. Mais si un homme, par un esprit
 „ de cruauté ou par mauvaise intention, tue méchamment
 „ un Nègre ou un autre esclave qui lui appartient, il paye-
 „ ra au trésor public quinze livres Sterling." Frosard
 L. I. T. II. pag. 62, 65, 71, 72 et 73.

(10) » Le meurtrier [d'un esclave, qui ne lui appartient pas] paie au Propriétaire le double de la valeur de l'esclave, et au trésor public 25 louis." Vid. Frosard L. I. T. II. pag. 74.

(11) Code Noir, Art. XXXVIII et XXXIX. » L'esclave fugitif, qui se sera absenté pendant un mois; à compter
 „ du

qualia certe sunt, quod feryi, male plerumque a dominis habitū, eorum saevitiae vel irae sese substrahant, aut durissimos labores fuga evitare conentur, poena est mutilatio. Itaque ea poena, quae ab omnibus fere recentioribus Legislatoribus, tamquam perquam inhumana, et a cultis nostri temporis moribus, aliena, fuit proscrip̄ta, ab iisdem Europaeis, sub mitissimarum legum tutela viventibus, in aīa orbis terrarum parte hominibus infligitur, quorum nullum aliud crimen est, quam quod vexationes coptinuae, et crudelissimi cruci-

» du jour, que son maître l'aura d'noncé en justice, aura
 » les oreilles coupées, et sera marqué d'un fer chaud sur
 » une épaule. S'il récidive, il aura le jarret coupé, et sera
 » marqué sur une autre épaule; et la troisième fois il sera
 » puni de mort."

Leges insulae Jamaicae: » si un esclave étant depuis un an
 » entier dans l'Isle, s'enfuit et demeure absent pendant l'es-
 » pace de trente jours; sur la plainte faite et la preuve
 » donnée devant deux Juges de paix, et trois Francs - Tes-
 » nanciers, il sera légal à ces Juges d'ordonner que cet es-
 » clave ait un pied coupé, ou ils substitueront à cette pei-
 » ne celle qu'ils jugeront convenable de lui infliger." Frosterd l. l. p. 70. Eadem leges Const. LXVI. » On
 » accorde une récompense de 50 Louis à ceux qui tueront
 » ou amèneront vivant un esclave rebelle." Frosterd l. l.
 p. 71. Eadem: » Si un esclave se permet de sortir de
 » nuit, ou de coucher dehors, et qu'il ne puisse pas en
 » être corrigé par la punition ordinaire, il sera permis
 » par la cour du Comté, sur la plainte qu'en fera, et les
 » preuves, qu'en donnera le possesseur de cet esclave d'or-
 » donner, que cet esclave soit puni en le mutilant ou de
 » quelque manière que ce soit, pourvu qu'il n'en meure
 » pas." Frosterd l. l. p. 74 et 75: seqq. et quae sunt
 hujus generis aliae leges. Cf. etiam B. G. Hutchinson
 Disf. Inaug. de Servitute c. 5.

(13) Vid. Frossard *l. l. T. I. p. 231.* Cf. etiam *Lettre de Talleyrand par Wilherforce. pag. 5 et 6.*

(14) Vid. *l. l. T. VI. Lib. 11. c. 24. in medio.*

(15) Cf. quae haec de re diximus supra S. II. c. 3. §. 5.

que crimina iustitiae colore defendere, et ingenuè fateantur, neque tam frequentia delicta, neque tam atrocitas supplicia futura, nisi fervorum comparandorum causa Europaei Guineae oras petant.

IV. III°. At, inquiunt, servi illi vel a parentibus, vel a magistratibus venduntur, vel etiam ipsi sese vendunt.

Resp. vero, parentes neque liberos suos vendere solere (16), neque vendendi jus illis competere. Libertas enim illa personalis, praecclarorum facinorum et omnis virtutis genitrix ac nutrix, qua erepta nihil ex homine superest, nisi inanis hominis imago, nullo interno impetu ad magnum aliquid aggrediendum impulsâ, sed ex placidis trucibusve severissimi domini oculis spem suam metumve fovens; libertas illa ipsi personae adeo inhaerêt, ut sola legitima iudicis potestas propter atrox crimen eam tollere, ceteri autem homines, ne ipsi quidem parentes, ejus usu invidiosè excludere, aliquo iustitiae titulo possint. Quapropter, si vel ipsae Guineae leges hanc potestatem tum parentibus tum magistratibus concessissent, Europaeis tamen, meliora doctis, siquidem iustitiae laudem vellent tueri, ex incultorum hominum iniustitia iniquos fructus percipere, nequam licet; in humanitatis honorem vero affirmare supra (17) nobis licuit, duplicem hanc iniustitiam raro committi, sed solos Europaeos in culpa esse.

Quod autem ajunt nonnullos Guineae incolas sese ipsos vendere solere, ad hoc observandum nobis videtur, nullum certè exemplum posse afferri Afrorum, sese Europaeis tamquam servos vendentium. Pasmim quidem inter

(16) Vid. S. II. c. 5. §. 1. et cf. Auc. ibi cit.

(17) S. II. c. 3. §. 1.

ter incolas receptum est, ut, qui rerum, ad vitam necessariorum, inopia premantur, ii ditioribus et potentioribus in servitutem sese addicant; ejusmodi autem haec servitus est, quae justis illis limitibus circumscribitur, quos legitimae servituti supra tribuimus (18); hujus autem potestatis terminos domini, servos illos alienantes, continuo transgrediuntur; multoque magis Europaei justitiae praecepta violant, durissimum et acerbissimum servitutis jugum hisce hominibus in perpetuum imponentes.

V. Ad alteram ejus generis argumentorum, quibus non ipsum quidem de hominum aequalitate principium impugnatur, sed varii servitutem constituendi modi defenduntur, speciem, (vid. §. 3.) pertinent illae objectiones, quibus res ab humanitate longissime abhorrens, tamquam ex humanitatis principiis oriunda celebratur; quae quidem qui legat, ille sane cum Celeb. Montesquieu (19) exclamet: „quisnam tandem crediderit misericordiam servitutem constituisse!” Sunt autem adversariorum argumenta fere haec:

1^o. Captivos in Africa a victoribus plerumque solcre occidi et vel aliquando devorari, adeoque Europaeos, justo pretio eos a victoribus emendo, bene de illis mereri.

Respond. vero, inanem esse hanc accusationem et nullo fundamento nitam. Quidquid enim de anthropophagis Guineae multi antiquiores viatores narraverint, illud vel ex mala fide, vel ex incertis relationibus ortum, vel, si qua veritas inest, supra omnem modum

(18) Vid. *Señ. I. c. 3. §. 2. et cf. S. II. c. 3. §. 1.*
nec non *Ant. ibi cit.*

(19) *Esprit des Loix L. XV. c. 2.*

dum exaggeratum, aut ad specialem aliquem casum, in bello, propter ingens odium gravemve injuriam, suscepto, restringendum esse videtur. Etenim in reliquis bellis, priusquam vendendis captivis Europaei occasionem dedissent, captivorum permutationem locum habuisse docet Raynalius (20), qui simul belligerandi modum in Guinea vulgo receptum exponit. Ceterum post ea, quae supra (21) diximus de artificijs, quibus utebantur Europaei ad bella in Guinea excitanda, nemini facile persuadebunt servitutis patroni, ex humanitatis principiis captivos ab Europaeis emtos fuisse, cum praesertim reliqua agendi ratio hisce principiis parum respondeat.

II°. Servos illos Afros in patria sua vitam agere adeo miseram et aerumnarum plenam, ut, qui vel cum damno libertatis eos e patria auferat, is insigni beneficio illos affecisse censendus sit.

Ad refellendam hanc sententiam, a veritate quam maxime alienam, conferantur, quae hunc in finem diximus *Sect. II. cap. 2.* quaeque ab optimis recentissimi aevi auctoribus de hac re unanimi consensu referuntur, cum iisque comparetur teterrima servilis conditionis in Coloniis Occidentalibus tabula, quam vividis admodum coloribus pinxit Frosfardus, in operis saepius laudati *T. I. c. 6.* cujusque levem effigiem dare conati sumus in *Sect. II. c. 4.* Ceterum, cum cuicumque homini liberum de conditionis alicujus felicitate ipsi judicium competat, ipsaque hujus judicii libertas non minimam suae felicitatis partem efficiat, nemini jus competere, ad alium hominem invitum in statum aliquem,

II.

(20) *L. I. T. VI. Lib. 11. cap. 13.*

(21) *S. II. c. 3. §. 4.*

licet ipsi forte longe meliorem et commodiorem, detrudendum, facile admodum intelligitur (22), ad quod cum dein accedat ferventissimus ille patrii soli amor, quo tantum non omnes homines, inprimis autem populi minus exculti, vehementer flagrant, et qui in Afris quidem tantus est, ut, cum persuasum sibi habeant, se post mortem in dilectissimis patriae oris renaturos, sibi suisque violentas manus facpissime inferant (23); quidnam tandem beneficii nomine compellent servitutis patroni, equidem non video.

VI. Tertium denique argumentorum genus, quibus causam suam defendere conantur adversarii, ex principiis religiosi petitur. Sunt autem hujus generis duae potissimum objectiones:

1^o. Dicunt in S. S. non tantum servitutum non veterari, verum etiam ex legibus Mosaicis eam fuisse receptam, et in religione Christiana tum praecepta, tum exempla dari, ex quibus facile probari possit, ex ejus religionis principiis servitutum licitam esse (24).

Hanc opinionem abunde satis explicuerunt et refutaverunt tum Frosfardus in operis laudati T. II. c. 2.
tura

(22) Cf. Brougham, *Beknopt verslag van den staat des geschils in Engeland aangaande de afschaffing van den Slaavenhandel*, pag. 70.

(23) Vid. Frosfard, *I. L. T. I. pag. 365 et 366. Wilberforce Lettre à Talleyrand pag. 88. alique.*

(24) De hac aliisque objectionibus Vid. Fermin Med. Doct. *Description de Suriname T. I. c. 11. et cf. Raynal I. L. T. VI. Lib. 11. c. 24. Frosfard aliisque passim; inprimis autem Wilberforce, Lettre à Talleyrand, ubi omnia hujus generis argumenta, quae eo tempore, quae haec causa ad supremum Angliae Senatum fuit agitata, ab adversariis prolata fuere, exponuntur.*

tum imprimis auctor opusculi, cui titulus *Philalothos Eleutherus, over-den Slavenland*, ed. Viro Doct. J. van Geuns, *Señ. I. pag. 10. sqq.* quare, cum hæc disquisitio proprie hujus loci non sit, neque a nobis expectari possit, ad hœrum opera eos remittimus, qui uberiorem hujus objectionis refutationem expectunt.

IIº, Objeiunt, hoc modo veræ Christianæ religionis notitiam magis extendi, et sempiternæ beatitudinis fervorem curam geri.

Ex hoc igitur principio atrocissima quæque crimina erunt licita, dummodo Christianorum numerus augeatur?

*Non tali auxilio, nec defensoribus istis
CHRISTUS eget.*

Itaque jam abunde factis probasse videmur injustissimam esse Afrorum servitutem, sive ejus principia, sive effectus respiciamus; *principia*, quoniam qui alium vi in servitutem redigit, is crimen committit, nullo justitiæ vel religionis colore defendendum; *sive effectus*, quoniam, etiamsi ipsa servitus esset legitima, nemini tamen fas foret, raptus, homicidii vel perfidiæ remediis uti, ut servos sibi compararet.

C A P U T II.

Servitus Afrorum est contraria Civitatum commodis.

I. **H**oc autem, de quo nunc agimus, id ipsum est, quod utile appellatur, in quo lapsa consuetudo

„ deflexit de via, sensimque eo deducta est, ut honestatem ab utilitate fecerneret, . . . , qua nulla pernicijs major hominum vitæ potuit afferri, ” ita Cicero loquitur, et paulo post: „ Sic enim cogitans: „ est isthuc quidem honestum, verum hoc expedit, „ res, a natura copulatas, audebit errore divellere; „ qui fons est fraudum, maleficiorum, scelerum omnium; . . . , qui hoc non perviderit, ab hoc nulla „ fraus aberit, nullum facinus; ” cet. (1). Praeclarum certe monitum; quod, utinam semper secuti fuissent, tum civitatum rectores, tum ipsi cives! multa certe mala, quibus hodieque implicitum est humanum genus, penitus forent incognita. Illud enim, quod justum, quod honestum, respectu univèrsi procul dubio quoque utilissimum est (2); at vero homines, omni aetate, ex privata et falsa saepe utilitate, agendi normam sibi fingentes, utile sectando, utilissimum neglexerunt. Cujus rei luculentum etiam exemplum praebuit nostri temporis experientia; nam, cum jam dudum de justitiae et humanitatis praecipis, horrendum servorum commercium; expressè vetantibus, inter omnes constaret; cumque jam multi celebriores viri probare conati fuissent, eandem quoque hic utilitatis ac honestatis esse regulam; viginti tamen fere annos summa ab utraque parte animi contentione certatum fuit, priusquam in suprema Angliæ Regni Curia lex, de tollendo servorum Afrorum commercio, sancita est; tantaque fuit argumentorum, ex utilitate quadam repetitorum, cœcervatio, ut Foxius, celeberrimus ille Britannici Regni

(1) Vid. *de Offic.* L. II. c. 3. et L. III. c. 18.

(2) Vid. Philaethes Eleutherus *over den Slavenstand*, pag. 64.

Regni Administer, juste indignatus; aliquando exclama-
 verit: „ Stupor multorum animos ac veluti torpor quib-
 „ dam infolitus membra tenet, quod, cum apud Se-
 „ natum populi, totius orbis terrarum longe excultis-
 „ simi, quaestio agitetur de hominum commercio to-
 „ lerando vel tollendo, nulla justitiae vel aequitatis fiat
 „ mentio; abjectis autem commodi damnive, inde
 „ oriundi, computationibus sancti parietes resonent;
 „ quasi vero cuncta illa, quae justitiam, conscientiam,
 „ religionem, humanitatem Majores nostri vocarunt,
 „ tamquam nummi adulterini sint consideranda, quibus
 „ homines simplices et indocti facile decipiuntur, quos
 „ vero rerum periti levi admodum negotio dignos-
 „ cunt.” cet. (3).

Nobis autem, ut ad finem propositum perveniamus,
 nequaquam omittenda videtur haec utilitas; sed contra
 aliquanto fusius ejus ratio habenda, ut, siquidem evi-
 cerimus utilitatem hic pari gradu cum justitia procede-
 re, eamque, nisi servitutem tollere hominibus persua-
 deat, illud saltem non disuadere, eo magis nobiscum
 omnes conveniant, etiam cum levi damno justitiae et
 humanitatis viam esse eligendam. Uti autem omnia,
 quae hucusque de justitia, humanitate, religione dixi-
 mus, tum servorum commercio, tum eorum conditioni
 in Colonis aequae sunt applicanda, ita in hac de uti-
 litate quaestione, inter utrumque accuratius erit distin-
 guendum; quoniam, sublato commercio, ipsa servilis
 conditio possit subsistere; utriusque autem ratio e di-
 versis principiis sit dijudicanda, et commercium illud

(3) Vid. *Chronik des neunzehnten Jahrhunderts* von G. G.
 Bredow, Professor der Geschichte in Helmstädt, An. 1805
 pag. 805 et 806.

mala, omnem servitutem comitantia, magis etiam aggraveret; adeoque ante omnia tollendum sit (4).

II. Omnia autem mala, quae ex fervore habendi ratione in societates redundare supra (5) vidimus, majori numero et vehementia in Coloniae Europaeorum Occidentalibus videntur adesse. Si enim hae Coloniae, tanquam ejusdem cum Patria Europaea Imperii dissitae provinciae, considerandae sunt, uti abunde fatis probavit Broughamus (6), certe summa cura adhibenda est earum conservacioni, securitati et opulentiae; cum vero civitatis alicujus securitas et salus in eo potissimum, ac fere unice consistant, ut quam plurimi civis fortuna prospera utantur et forte sua contenti vivant; quid tandem, quaeso, infausto ac fortunae suae irato, eoque aliis infesto hominum genere opus est? an imminentibus periculis atiquod auxilium ab iis potest expectari, quibus nulla proprie est cum patria communitio, sed quorum fortuna potius ab ejus ruina pendet?

Qui

(4) Egrege illud explicat Simonde de Sismondi l. 2. pag. 71. » Sans doute l'esclavage est à mes yeux, aux yeux de tous ceux qui demandent l'abolition de la traite, un indigne outrage fait à la nature humaine; il est une violation de toutes nos lois, comme de la charité qui de-
 » vroit leur servir de base; il est un opprobre pour notre
 » religion, à laquelle nos théologiens attribuent toujours le
 » mérite d'avoir détruit partout la servitude. Mais ce mal
 » est invité dans l'ordre social de nos colonies, il y a
 » jeté de profondes racines, et il ne peut être détruit rapi-
 » dement. La traite au contraire est un mal toujours nou-
 » veau, c'est une reproduction continuelle de crimes qu'il
 » faut se hâter d'arrêter, si l'on veut pouvoir ensuite por-
 » ter remède aux maux qu'elle enfante."

(5) Vid. *Soll.* II. c. 4. §. 3 et 4.

(6) *De Staatskunde der Europ. Mogendh. enz.* T. I. c. 2.

Quis quidem pessimi et civitatibus perniciosissimi effectus cum deesse nullibi possint, ubi servilis ratio viget, quaenam tandem est Europaeorum Coloniarum conditio? quam parum stabilis et firma earum cum Patria connexio, quippe ingentem fervorum numerum, liberorum civium plus decies majorem, continentium, quibus continuis vexationibus lacescitis et ad seditionem paratissimis, tantum Spartacus quidam, vel Desfalines deest, ut horrenda tyrannorum suorum caede vindictae cupidinem, diu oppresam, cruento exsantent; neque dictis experientiam repugnare, plurima seditionum, propter strenui expertisque ducis, et conjuncti consilii defectum, tantum pacatarum, exempla (7), nec non luculentissimum, cunctisque notum Sancti Domingo exemplum, abunde satis docent.

Ne vero hic objiciant adversarii, periculum hoc non adeo magnum esse, quam quidem vulgo habetur; hunc in finem inprimis provocantes ad Reip. Romanae exemplum, quippe in qua ingens itidem fervorum numerus inveniebatur, qui, licet pessime plerumque haberentur, et tumultus saepius moverint, numquam tamen ipsam Reip. existentiam in periculum adduxerunt. Nam ne de maximo discrimine dicam, in quo propter bella servilia Resp., orbis terrarum domina, saepe versata est; plurimae omnino inter utramque conditionem sunt differentiae notae, quae, ceteris paribus, eandem conclusionem tamen non admittant. Primum enim Romae quis-

(7) De variis Servorum in Jamaica insula seditionibus An. 1760, 1761, 1764 et 1765. vid. Long *Description de la Jamaïque* Lib. III. c. 3. de seditionibus in Colonia nostris Surinamo et Berbice vid. Brougham *l. l. T. I. pag. 424 seqq.* aliaque.

quisque cives erat miles et periclitante Rep. ad ejus defensionem pro virili poterat conferre, in Coloniais contra plerique cives mercatores sunt, belli artium penitus rudes et exigua plerumque militum manu contra vim externam et internam defensi; dein Romae magnus quidem erat servorum numerus, sed nequaquam tantus, quantum in Europaeorum Coloniais, cum liberorum civium Romanorum numerum numquam exceserit (8), in Coloniais nostris contra decies vel plus etiam (9); praeterea Romanorum servi, neque externa corporis facie, neque vestitu, neque moribus ab heris suis magnopere differebant, in Coloniais contra tum corporis externo colore et viribus robustioribus, ac coeli temperiei magis adaptatis, tum moribus et vestimentis ab heris suis totum quanti distincti sunt; quod quam periculi plenum sit, jam sensit Senatus Romanus, uti docet Seneca (10): „ In Senatu dicta est aliquando sententia, ut servos a liberis cultus distingueret: deinde apparuit, quantum periculum immineret, si servi nostri numerare nos coepissent; denique apud Romanos, ubi servi plerumque ad luxum et domus ministerium adhibebantur, maximus numerus in urbibus locisque frequentioribus inveniebatur, ubi eorum tumultus minus essent extimescendi et citius atque facilius comprimerentur, in Coloniais contra plerumque in villis, longe plerumque a se invicem distantibus,

(8) Vid. Gibbon, *Decline and Fall of the Roman Empire* V. I. c. 2. p. 68. Edit. in 8vo.

(9) Vid. Brougham *I. I. T. II. pag. 89.*

(10) *De Clementia* L. I. c. 24. Miror Virum Ampl. Wilberforce in Opusculo saepius laudato *Lettre à Talleyrand* pag. 42. in eum errorem potuisse incidere, ut ad Atheniensium civitatem illud referat.

bus, habentur, ubi pluribus illecebris et certioris vite successus incitantur, ut animos et manus in heros tollant.

Neque magis valet, quod nonnulli dicunt, haec pericula, quamvis ea revera adesse iidem negare nequeant, idcirco nostris diebus adeo amplificari atque divulgari, ut dilectissimae recentiorum Philosophorum disferendi materiae *de commercio servorum Afrarum tollendo*, illi magis inserviant, et insigni eorum argumentis pondus addant, cum contra duorum saeculorum experientia satis superque docuit, ea non adeo magna esse, saltem non tanta, propter quae fervoram operis utendi ratio, tot et tantos ceteroquin fructus ferens, tollatur. Nam ipsa illa, quae nostra aetate in Coloniae acciderunt, in primis autem seditionis bellique servilis in St. Domingo insulae eventus, quo nova ibi Resp. a servis victoribus constituta est, haec, de quibus diximus, pericula, tum exemplorum vi, tum alias ob causas immensum in modum auxerunt, uti luculentissime probavit Broughamús in operis saepe laudati T. II. c. 3. (11).

Denique nihil contra nostram sententiam facit, quod alii dicunt, inanem esse hanc periculorum repraesentationem; cum omnium qualiumcumque coloniarum natura illud secum ferat, ut serius ocysus a patria separantur et singularem civitatem constituent. Hoc enim

(11) Capitis inscriptio haec est: » *De gevolgen, welke uit het vestigen van een gemeenebest van Negers in de West-Indien te verwachten zijn, vóór de belangen van de Volkplantingen, die onder de heerschappij van het Moederland verblijven.* » Eandem rem tractat auctor in alio opere: *Be-knopt Verslag van den staat des geschijs in Engeland ro-pens de afschaffing van den Slavenhandel pag. 80 seqq.*

si verum est (12), eo magis omni ope vitendum est, ut naturale hoc malum sanetur, vel ea saltem amoveantur, quae malum illud fovere, augere vel citius ad maturitatem perducere possint.

III. Alterum, ex quo faustus et prosper civitatis alicujus status jure aestimari solet, est accrescens, ope procreationis, incolarum numerus. Tantum autem est hoc respectu inter regiones, eodem vel etiam minus fausto coeli tractu gaudentes, et Colonias Europaeorum Occidentales discrimen, ut continuae et enormes novorum incolarum asportationes in plerisque vix suffecerint, ad eundem incolarum numerum conservandum; utque earum nulla, habita ratione soli fertilitatis et regionis ambitus, quartam partem incolarum contineat, quos, ne minimo quidem mercium exportationis damno, terra fertilissima posset sustentare (13). Aliam causam hujus rei causam, praeter servitutem, non esse, multis probatur argumentis; primum enim, cum ibi maxime florere sobolis procreationem omnis aevi experientia doceat, et ipsius rei natura indicare videatur, ubi legitimi matrimonii stricta est, atque, ut ita dicam, religiosa observatio, plane contrarium hic obtinet, nam effraenata Europaeorum, propter in Patriam remigrandi morem, hic fere sine uxoribus viventium, libido omnem matrimonii honorem, cui ex unanimi scriptorum consensu Afri anxie inhaerent, improbe turbat; deinde,
cum

(12) Cf. quae hac de re dixit Brougham *L. L. T. II.* pag. 5 et 6 et alibi passim.

(13) Accurate hujus rei computationes vid. apud Frossard *L. L. T. II.* pag. 157 et 158 in notis et apud Brougham *L. L. T. II.* in *Annot. H. h.*

cum neque mulieribus gravidis, neque puerperis, tum in operis perficiendis, tum in poenis infligendis, ab inhumanis custodibus parcat, abortum multae faciunt; et ipsae saepius succumbunt, prolem rite curare et educare nullae possunt (14); denique multi servi, cum miseram fortis servilis conditionem toto pectore sentiant, in coelibatu vivere et a concubitus dulcedine abstinere malunt, quam in prole sua, cujus eximio et vehementi amore flagrant (15), servitutis mala videre perpetua (16).

Neque quis putet, quod nonnulli dixerunt, hujus rei causam in eo esse quaerendam, quod vel coeli temperies, qua Coloniae Occidentales utuntur, vel ipsa Afrorum natura frequenti liberorum procreationi minime conveniat. Nam, quod ad primum attinet, idem fore est harum regionum ac Guineae coeli tractus, et aliquanto etiam sanitati faventior (17); deinde nonnulla adducuntur exempla, quibus evincitur, Aethiopes in regionibus multo frigidioribus, vel etiam sanitati pestiferis, dummodo vel mitius haberentur, vel libertate fruerentur, numero insigniter fuisse propagatos (18); quod autem ad alterum attinet, utrum scilicet ipsa Afrorum natura frequentem liberorum procreationem impediatur, de eo nemo potest vel paululum dubitare, considerans, quo et quanto incolarum numero per duo et quod excurrit

(14) Vid. Simonde de Sismondi *l. l. p. 69.*

(15) Frossard *l. l. T. I. pag. 194.* Sloane, in *Introductione ad Historiam Naturalem Jamaicae*, aliisque.

(16) Vid. Frossard *l. l. T. II. p. 157.*

(17) Vid. Frossard *l. l. T. II. p. 158.* et Wilberforce, *Lettere di Talleyrand pag. 35 et 36.*

(18) Wilberforce *l. l. p. 36 et 37.*

saecula, Guinea fere regulariter fuerit orbata, neque tamen hodieque inter regiones minime frequentatas possit referri; idque eo minus, cum nihil omnino differre, nemo facile dixerit, utrum omnis sexus, aetatis et corporis incolae mixtim auferantur, an vero inprimis viri, viribus et aetate vigentes, rapiantur; unde patet, non injuria gentem Afrorum a nonnullis dictam esse, omnium orbis terrarum gentium proles feracissimam (19).

IV. Praeterea, cum civitatis plurimum intersit, ut vectigalia ceteraque, quibus ad publicas impensas compensandas indiget, quam facillime et quantum possit a plurimis incolis solvantur, servilis ratio, qua fit, ut maxima pars fructuum, quos agri reddunt, ad privatos homines redeat, eosque fere avaros et corradendis divitiis intentos, eoque tardos et difficiles ad tuendam et promovendam publicam salutem; ceteri autem laborum suum usum et fructum, vel nullum, vel perexiguum experiantur, servilis ratio, inquam, neque hoc respectu civitati prodesse dici potest (20). Idque eo magis verum esse apparebit, si proprium Coloniaarum, cum ceteris imperii provinciis comparatarum, statum aliquanto accuratius perpendamus: est enim earum haec fere ratio, ut pro ingentibus sumptibus, qui tum ex naturali earum debilitate, tum ex majori a capite Imperii distantia aliisque causis oriuntur, paucos admodum reditus ab ipsis incolis aerarium percipiat; quibus quidem

re-

(19) Wilberforce l. l. p. 35.

(20) » Man kann stärkere Abgaben nach dem Verhältnisz der Freiheit der Unterthanen erheben; und man ist » sie zu mäszigen gezwungen, wie die Sklaverei zunimmt. » So war es immer, und so wird es immer seyn. — G. G. Bredow, Chronik des neunzehnten Jahrhunderts An. 1864 pag. 202.

rebus factum est, ut cum impensae illae ex his haud facile possent compensari, coloniarum administratio et imperium adeo ab omnibus fere Europaeorum civitatum gubernatoribus certis societatibus relictum fuerit; quarum in gratiam igitur summa privilegia fuere concessa, quibus omnes alii cives a coloniarum comestu excluderentur (21). Postquam autem hae societates varias ob causas, quas exponere hic non attinet (22), sensim interierant, ipsis civitatibus coloniarum cura iterum fuit suscipienda; eadem tamen manente solitos redditus inter solitasque impensas differentia, altus generis vectigal, mercibus importandis et exportandis impositum, insigniter erat aggravandum. Quamdiu autem harum coloniarum mercatura tamquam monopolium poterat considerari, conspicua lucra, quibus coloni et mercatores fruebantur, grave hoc vectigal facile poterant compensare; postquam vero rerum facies ita mutata fuit, ut, non obstante majori distantia, omnes illi fructus, quos ex Colonis Occidentalibus tantum accipere solebant Europaei, minori pretio ex Indiis Orientalibus possint afferri, omni certe ope nitendum est, siquidem ullus Coloniarum Occidentalium posthac valor futurus est, ut, si non minori, saltem eodem pretio, quo ex Indiis Orientalibus, terrae fructus inde possint comparari. Hunc in finem, ut scilicet Colonias suas Occidentales a consummata ruina tuerentur, Angli grave admodum vectigal saccharo, ex Oriente importando, imposuerunt (23); quae quidem res, utrum satis efficax sit, valde addu-

(21) Inprimis hic conferri meretur Doctus. Robertson *History of America* V. II. pag. 431.

(22) Quae tamen videantur apud Brougham *L. I. T. I. S. I. c.* et alibi passim.

(23) Vid. Wilberforce, *Lettre à Talleyrand* p. 50.

bitamus (24); nobis autem, cum certum fere sit lucra illa, quae immensè adeo a Colonis in Indiis Occidentalibus olim percipiebantur, sensim diminutum, et tandem plane in nihilum redactum iri, donec non saccharo vel coffeae, sed primis vitae necessitatibus, colendis incolae operam navare debeant (25), omnium harum causarum concursus efficacissima argumenta ad feruitatem Afrorum tollendam, praebere videtur. Tum enim, cum sensim illi ad industriam et ad legum societatis observantiam assuefacti erunt, de quo nobis quidem haud desperandum videtur, nova civium nascetur progenies, qui, si antiqua cum Patria Europaea vincula subsistere pergant, uberiores huic redituum proventum reddent; sin vero ea solvantur, novam nihilominus et planam viam aperient, qua res, ab artificibus Europaeis fabricatae, cum insigni lucro vendi possint. Est enim illud etiam inter incommoda, quae ex fervos habendi ratione in civitates redundant, jure referendum, quod, cum ipsi nihil possideant, unde Europaeae industriae fructus, vitae necessitati, utilitati vel voluptati infervientes, sibi comparare possint, heri autem non, nisi ad vitam maxime necessaria, parca admodum manu iis praebeant, exiguum est harum rerum inter colonias et patriam commercium, habita scilicet ratione numeri incolarum, et harum rerum indigentiae, quae in iis regionibus, ubi nullae adhuc earum officinae inveniuntur, certe maxima esse debet (26).

V.

(24) J. C. L. Simonde de Sismondi, *de l'intérêt de la France à l'égard de la Traite des Nègres*, 3. Edit. Paris 1814, pag. 41.

(25) Cf. Simonde de Sismondi *l. l. p. 47.*

(26) Vid. Frossard *l. l. T. II. p. 162.* — » Boile prae-
» posoit de prêcher l'Évangile parmi les sauvages, afin de
» les

V. Denique, ne rem per se apertissimam pluribus persequar, cum civitatis plurimum interesse inter omnes constet, incolas non tantum corporis viribus valere, sed etiam eorum ingenia esse exulta; ipsa autem servitutis in coloniis ratio omnem ingenii culturam impediat, etiam hac in re servitutem civitatum commodis oppositam esse patet. Nam, quod multi putant, civitatum commoda postulare, ut servi minime excolantur, ne scilicet Europaeorum erga se injustitia cognita, servile jugum abjicere conentur, et omni fructu, ex coloniarum possessione profuente, civitatem uno tempore privent, illud nobis quidem verum non videtur. Etenim, cum omnis tyrannidis ea sit natura, ut hominum animos aliquamdiu quidem opprimere, penitus extinguere autem nequaquam possit; sed contra, quo gravior et diuturnior fuerit oppressio, eo majori vi irae, diu coercitae, vulgo erumpant; illud de tali imprimis tyrannide dicendum videtur, qua mentibus vincula injiciuntur; nam si ingenia, ceterum inculta, aliqua cogitatione extrinsecus afficiantur, quae cogitationum communicatio nullo modo prohiberi potest, rei natura docet, ipsam hanc notionem totum ingenium, nullis fere rerum cognitionibus refertum, esse occupaturam et omnem hominem vi quadam irresistibili protracturam.

Quid-

» les engager à porter des habits, fabriqués en Europe.
 » Sans doute son intention étoit de persuader par des motifs
 » d'intérêts, les hommes qui sont si souvent sourds à la
 » voix de la Religion et de l'Humanité. — Cette observa-
 » tion peut s'appliquer à la destruction de l'esclavage en Amé-
 » rique. — Elle donneroit une nouvelle vigueur aux manu-
 » factures des Métropoles." Idem in notis. Cf. etiam Broug-
 ham l. I. T. I. p. 177. seqq. et Robertson, *History of*
America V. II. pag. 399.

H 2

Quidnam igitur a fervis, si illa cogitatio de primitivis hominum juribus a nemine impune laedendis eos incendat, expectandum sit, non est quod pluribus exponam, cum et ratio et experientia illud abunde fati doceant. Quapropter nobis quidem, hoc inprimis tempore, quo omnia, quae fervorum causa tanta animorum contentione agitata ubique fuere, eos plane fugere non potuerunt (27), tum sensim abolenda servitus, tum ante omnia utili rerum cognitione fervorum animi imbuendi videntur, ne scilicet ipsum libertatis donum vel ipsis vel civitatibus perniciosum existat, utque aliquod dein etiam colonialium pretium sit.

VI. Sunt etiam, uti §. I. diximus, commercii fervorum Afrorum specialia quaedam mala, quae servilem rationem magis etiam perniciosam civitatibus reddant, ideoque omnibus, quibus vera civitatum commoda curae fuerunt, ante omnia horrendum hoc commercium tollendum visum fuit. Quae inter mala recenferi inprimis debet, quod continuae illae novorum fervorum, ex patria raptorum, importationes animum tumultuandi, tantis ceteroquin gravium causarum incitamentis jam exagitatam, magis etiam foveant atque exalcent; quare inter causas, quae horrendis seditionibus, caedibus atque omnis generis atrocitatibus, quae per multorum annorum spatium fertilissimam St. Domingo insulam misere devastarunt, crebrae illae atque inauditae fervorum importationes merito a nonnullis referuntur (28).

Cum

(27) Vid. Brougham *l. l. T. H. p.* 189 et 190.

(28) Vid. Wilberforce *Lettre, à Talleyrand pag.* 44 et 71. Nempe ab *An.* 1786—1790 quotannis 30,000 Afri in St. Domingo impostabantur: ita quinque annorum spatio, ad insatiabilem nonnullorum privatorum avaritiam explendam, 150,000

Cum enim hominum natura ita fit comparata, ut forti, licet durissimae, sensim tamen asuefiat, dummodo omnia illa amoveantur, quae renovando dolori, vel pristinae felicitatis recordationi in animum revocandae ansam praebere possint; idem ratione fervorum in Coloniiis necessario obtineret, dummodo mitius illi haberentur, et tantum ope procreationis naturalis fervilis familia conservaretur; praesertim cum vernae illo patriae desiderio, quo servi ex Guinea inveci adeo oblanguescunt, non flagrant, nisi continuae parentum, amicorum et miseriarum fociorum narrationes, et vivis subinde coloribus a novissime inveci depictae foli patrii, rerumque amisarum effigies, praesentis conditionis taedium et vitae jucundissimae sub libero Guineae caelo, cujus suavissima imago animo continuo obversatur, flagrantissimum desiderium ipsis inspirarent. Quapropter, quamdiu horrendo illi commercio vacant Europaei, nullam Coloniarum securitatem, neque fervorum conditionis emendationem sperandam esse, a multis summo jure judicatum est.

Est etiam aliud grave damnum, quod ex hoc fervorum commercio civitates patiuntur; quod scilicet haud exiguus nautarum numerus in navigationibus et expeditionibus, ad fervos comparandos institutis, vulgo perire soleat; quae quidem res, cum in suprema Angliae

150,000 miseri e patria, mediisque familiis fuere erepti et in perpetuam servitute damnati! Cf. etiam Barré de Saint-Venant, *Colonies Modernes* p. 81. Arnould, *Balance de Commerce*, P. II. Sect. 3. *Rapport à l'Assemblée Legislative*. 1790. Edward's *St. Domingo*, in Append.† et imprimis Brougham l. l. T. II. Annot. H h. et *Beknopt verflag van den staat des geschils in Engeland nopens de affchaffing van den Slavenhandel*, pag. 72. seqq.

gliae Curia de commercio Afrorum tollendo ageretur, egregii imprimis Clarksoni ope, ad eum certitudinis gradum perducta est, ut ex institutis pluribus inquisitionibus appareret, unum hoc fervorem commercium unius anni spatio tanto, et majori etiam, nautarum numero Regno Britannico constare, quanto ceterae omnes vastissimae Anglorum mercaturae partes, simul sumtae, per duos annos (29). Causae, praeterquam in minus fausta nonnullarum Guineae regionum coeli temperie, etiam in eo quaerendae sunt, quod ab avidissimis navium Praefectis nautae saepe adhibeantur ad fervos rapiendos, quae quidem res, tum propter omnis generis labores et difficultates, eam comitantes, et sub arida zona plerumque exitiales, tum propter pericula ex Afrorum defensione timenda, multis Europaeis perniciofa existit; deinde, quod, cum insigni hominum numero hae naves, ad Americam navigantes, oneratae sint, ciborum et potus inopia saepius tangantur, cui multi nautae succumbunt; praeterea, quod propter eundem hominum numerum nullus fere locus nautis relinquatur, ex quo lectos suspendant, adeoque illi perniciosissimis maris exhalationibus, cum in navium tabulatis noctes transigere plerumque debeant, sint expo-

(29) Vid. Frosfard *l. l. T. II. p. 386—393.* et Wilberforce, *Lettre à Talleyrand p. 33 et 34,* nec non Simon de Sismondi *l. l. pag. 31.* Sur 910 matelots employés à la Traite, il en meurt par an 200. Sur 910 employés au commerce des Indes Orientales 37

d. Ind. Occident.	21	} 87.
d. Petersbourg	10	
d. la Terre-Neuve	10	
du Groenland	9	

Frosfard *l. l. pag. 590* secundum Clarksonum.

positi; porro multi quoque eos sibi morbos contagione contrahunt, quibus propter causas in S. II. c. 3. §. 6. expositas, servi in trajectu haud raro afficiuntur; denique majores et minores navium Praefecti crudelitatem suam, cui eorum animus asfuevit, in ipsos quoque nautas exercent; unde fit, ut multi vel truculentissimis castigationibus et flagellationibus succumbant, vel etiam, occasione data, navim relinquunt et desertas saepe regiones petant (30). Quae cum ita sint, summo mihi jure illud servorum commercium, quod multi nautarum Seminarium vocaverant, eorundem sepulcrum dixisse videtur Wilberforcus (31).

C A P U T III.

Servitus Afrorum est contraria dominorum commodis.

I. **D**ifficiliorem multo hanc disquisitionem esse quisque videt; quin imo aliquid absurdi prima specie continere videtur, velle demonstrare, dominorum commodis repugnare ejusmodi rationem, qua illi plures homines ita sibi subjectos habent, ut non tantum invitos eos ad opus

(30) Haec omnia fufius exposita inveniunt apud Frossard l. I. T. II. pag. 386—393.

(31) *Lettre à Talleyrand, pag. 34.* Cf. imprimis Brougham, *Beknopt verslag van den staat des geschils in Engeland nopens de affchaffing van den Slavenhandel, pag. 41—45*, ubi omnia adversariorum argumenta dilucide refutavit doctissimus Auctor.

opus constringere possint, sed omnem etiam ex eorum operis fructum soli percipiant; dicentesque jam quosdam audire videor:

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu (1)?

At vero, priusquam nos huic demonstrationi accingamus, tum ad faciliorem intellectum, tum ad tollendas quasdam difficultates, nonnulla praemonenda esse censuimus. Itaque observandum est, 1°. quaestionem hanc comparate institui, i. e. non simpliciter quaeri, utrum aliquam utilitatem heris afferat servorum operis utendi ratio? de quo vel paululum addubitare stultissimum sit; sed, utrum haec utilitas tanta sit, ut si cum fructu, ex operis hominum liberorum, mercede conductorum, percipiendo comparetur, illa huic sit praefenda? — 2°. de commodis nummariis hic quidem primario agi; verum non ita, ut unice quaeratur, quo modo plus opum coäcervetur, sed etiam, quo illae tutius comparentur et securius possideantur? ita ut omnia illa pericula, quae, uti Cap. praeced. diximus, non tantum civitatibus, verum etiam inprimis privatis ex servitute Afrorum imminet, in hac quaestione dijudicanda in censum venire debeant, quamvis eorum mentio, ne in inutiles plane repetitiones incidamus, amplius facienda non sit. — 3°. mala quoque moralia, quae ex servitute in dominos facile redundare, supra (2) probavimus, luxum scilicet ex ea immense augeri, et iracundiam, superbiam, crudelitatem ceterasque perverfas ani-

(1) Horat. de Arte Poët. vs. 138.

(2) Vid. S. I. c. 4. §. 5. et Montesquieu *Esprit des Loix* L. XV. c. 1.

animi affectiones ea imprimis stimulari, hic plane omit-
tenda non esse; quoniam, licet non univérse iis indul-
geant Coloni, faciles tamen peccandi illecebrae, quan-
tum fieri possit longissime, amovendae sint ab iis, qui
veris suis commodis student. — 4°. denique, sedulo
hic iterum distinguendum esse inter servitutem ipsam
servorumque commercium; nam licet luce clarius pro-
bati possit, mercenariorum operas et viliores esse et
utiliores, quam servorum emtorum, hoc ita protinus
procedere nobis quidem non videtur, si ope tantum
procreationis servorum familiae conserventur; quare, cum
propter solam utilitatis rationem servorum commercium
proscribere possimus, si de tollenda servitute agatur,
forte etiam aliorum argumentorum auxilium erit adhi-
bendum. Quibus quidem praemisissis, jam nunc pro
instituti ratione breviter videamus, quo potissimum mo-
do servitutis sublatio sese tamquam dominis utilem,
certe non noxiam, commendet.

II. Itaque primo de servis dicamus, pecunia com-
paratis; et impensis, ad eos comparandos et sustentan-
dos faciendis, nec non variis periculis et damnis, qui-
bus domini, operis servorum prae mercenariorum uten-
tes, sunt expositi, accurate computatis, probare cone-
mur, mercenariorum operas multis nominibus esse prae-
ferendas. Multi enim in errorem fuere inducti, summa-
tim tantum considerantes, quoniam pecuniae summa ad
servum emendum et sustentandum, quaeque ad merce-
narii operas compensandas esset impendenda; et exinde
temere concludentes viliores esse servorum operas, nul-
la habita ratione omnium eorum, quae, si aequa lance
cuncta aestimentur, mercenaria opera, nobis quidem
iudicibus, multo potiora efficiant. Si scilicet ad ser-

vam emendum 660 florenis (3) opus fit, hujus summae usurae, cum omnis alius fructus dominis petit, ita sunt aestimandae, ut, cum solitum annorum numerum servus vixerit, haec summa servorum operis compensata sit. Quapropter, cum servi, in Colonias advecti ibique venditi, octo tantum vel decem annos laboribus superesse posse aestimentur (4), usurae hujus summae ad *quindecim pro cento*, uti ajunt, exurgunt (5). Quibus quidem usuris, quarum ratio abit in 99 florenos, si deinde addantur impensae in servi victum, vestitum et habitationem faciendae, quarum summa, licet illae parcissime fiant, ad 50 florenos ad minimum adscendet, 149 florenis servum quotannis domino constare patebit (6). Contra hominis liberi operae, si mercede *quindecim Stuverorum* illae quotidie compensentur, isque 260 plurimum dies (deductione facta

(3) Vid. Frosfard *l. l. T. II. pag. 181*. Ne quis putet hanc summam esse exaggeratam, cum jam viginti et quod excurrit annos, antequam opus suum conscripserit Frosfardus, servum pro 400 vel 450 florenis vendi solere testis sit Fermín, *Description de Suriname, T. I. c. 11.* et ex eo tempore quotannis increvisse servorum pretium multi affirmant: ita ut Simonde de Sismondi *l. l. p. 31.* unius servi pretium hodie 1100 florenis aestimet.

(4) Vid. quae diximus *S. II. c. 4. §. 7.* et cf. Frosfard *l. l. T. I. p. 351* et *T. II. p. 184.* nec non Simonde de Sismondi, *de l'intérêt de la France à l'égard de la Traite des Nègres p. 12.*

(5) Vid. Frosfard *l. l. T. II. p. 181* et *184* et Simonde de Sismondi *l. l. p. 40.* in nota.

(6) Secundum Simonde de Sismondi *l. l. p. 40.* Humboldt, *Essai Politique L. IV. c. 10. T. III. p. 185* et Malouet, *Rapports sur la Guiane T. I. p. 79.* illud hodie ad 600 francos aestimandum est.

facta dierum festorum et eorum, quibus opus perfici nequit) quotannis laboribus vacare aestimetur, 195 florenis domino constabunt, adeoque, ceteris paribus, dominis commodiores dicendae forent fervorum, quam mercenariorum operae. At vero, si ab altera parte consideremus, unius quoque servi fuga, morbo diuturno, vel morte praematura insignem damnus dominos pati, gravioribus ceterorum fervorum laboribus vix compensandum, haec autem damna admodum frequentia esse; in mercenariis vero nihil ejusmodi esse timendum; et deinde homines liberos plus operis perficere solere, quam servos (7), tantumque inter utriusque la-

bo-

(7) Vid. quae supra diximus S. I. c. 4. §. 5. et cf. Frossard *l. l. T. II. pag. 177—181.* M. Poivre, *Voyage d'un Philosophe p. 93. seqq.* Brougham *l. l. T. II. pag. 146.* et alibi passim. Schwartz *sur l'esclavage des Nègres* passim; nec non Montesquieu, *Esprit des Loix L. XV. c. 8.* Digna mihi visa est sequens laudati Schwartzii observatio, quae aliquem locum hic occuparet: » *La raison du préjugé vulgaire est simple; on n'a pas distingué le produit réel du produit net. En effet, faites cultiver par des esclaves, le produit net sera plus grand, parce qu'il ne vous en coûtera en frais que le moins, qu'il est possible. Vous ne donnerez à vos esclaves que la nourriture nécessaire; vous choisirez la plus commune et la moins chère; ils n'auront qu'une hutte pour maison; à peine leur donnerez-vous un habillement grossier. Le Journalier le plus pressé d'ouvrage exigerait un salaire plus fort. D'ailleurs, un Journalier veut tantôt gagner plus, pour former quelque capital; tantôt il veut se réserver du tems pour se divertir; s'il emploie toutes ses forces, il faut que votre argent le dédommage de ce qu'il n'a pas succombé à sa paresse. Avec des esclaves vous employez les coups de bâton; ce qui est moins cher. Dans la culture libre, c'est la concurrence réciproque des propriétaires et des ouvriers, qui*

bores interesse, ut post accuratissimas computationes differentiae ratio sit, uti 4 : 7 vel etiam quandoque, uti 1 : 2 (8), nobis quidem nullum dubium superest, quàm, si coëmendî sint servi, mercenariorum operis utendi ratio multis nominibus fervilibus operis potior habenda sit. Alia autem quodammodo res est, si eum statum respicias, in quem post abolitum fervorum cômmercium Coloni necesario rêdacti sunt, quo scilicet coguntur, ut tum mitiganda fervorum forte, tum promovendis eorum matrimoniis necesario fervorum numero ope procreationis conservando, curam impendant; præterquam enim, quod ingentes pecuniae summas fervorum coëmtioni impendere heri diutius necesse non habent, adeoque damna, ex fervorum fuga, morbo vel morte timenda, magnopere iis minuuntur, etiam ver-nas, quos *Creôles* Coloni vocant, operi magis incumbere et forte sua magis contentos vivere debere, rei natura docet; est enim illis major quaedam cum villarum, in quibus nati sint, fortuna connexio et arctior cum heris suis necessitudo, cumque libertatem numquam

» qui fixe le prix. Dans la culture esclave, le prix dépend
 » absolument de l'avidité du propriétaire. Mais aussi dans
 » la culture esclave, le produit brut est le plus faible: et
 » au contraire, le produit brut sera plus considérable dans
 » la culture libre. Ce n'est donc pas l'intérêt d'augmenta-
 » tion de culture, qui fait prendre la défense de l'esclavage
 » des Nègres; c'est l'intérêt d'augmentation de revenu pour
 » les Colons. Ce n'est pas l'intérêt patriotique plus ou moins
 » fondé, c'est tout simplement l'avarice et la barbarie des
 » propriétaires. La destruction de l'esclavage ne ruinerait ni
 » les Colonies, ni le Commerce; elle rendrait les Colonies
 » plus florissantes; elle augmenterait le commerce." cct.
 Cf. Frosfard I. I. T. II. pag. 178.

(8) Vid. Frosfard I. I. T. II. pag. 179 et 180.

quam noverint, ejus amissae desiderio flagrare non possunt. Verum tamen, cum homines liberos servis in opere faciendō semper praecellere constet, adeoque earum operarum fructus viliori pretio vendi possint, quam qui e servis redeunt, hinc nostris in primis diebus gravissimum argumentum pro tollenda servitute existere videtur; postquam enim tum in St. Domingo insula, tum in America, quae dicitur, Hispanica, de cujus possessione hodieque inter Hispanos et *Independentes*, uti vocantur, certatur, a manibus liberis illi fructus excoli coeperunt, quorum cultura in Coloniae a servis perficitur, propediem, nostra quidem opinione, omne Coloniae commercium hac aemulatione extinguetur, nisi, sublata servitute, saccharum ceterique coloniae fructus etiam in illis a liberis hominibus excolantur (9);

quo

(9) Vid. Simonde de Sismondi *l. l.* pag. 51 et 52. » *Les nègres indépendans d'Haïti (St. Domingo) ont été obligés de renoncer à la culture et à la fabrication du sucre, qui demandoit trop de capitaux, et peut-être trop de connoissances chimiques; mais ils ont soigné les plantations de café et de coton, et cette année (1814) même leur île a fourni pour l'Angleterre le chargement de vingt gros vaisseaux.* » Et pag. 42. » *La culture de la canne à sucre s'est aussi introduite dans le Mexique, où elle est abandonnée aux Indiens et aux paysans libres. Elle y a reçu, dans les terras calientes, le plus grand développement; et l'exportation du sucre Mexicain augmente chaque année.* » Et Humboldt *l. l.* p. 185. » *En 1782 le sucre du Mexique n'étoit pas connu dans le commerce; en 1802, le seul port de la Veraeruz en expottoit 120,000 quintaux. Les Etats-Unis tirent aussi du sucre de Manille, et l'accroissement de cette production n'est pas moins rapide aux Philippines qu'en Amérique. Les rapports de New-York donnent en 1800, 216,452 kilogrammes de sucre de Manille; en 1801, 403,589; en 1802, 646,461.*

cui accedit, quod Cap. praeced. §. 4. diximus, saccharum quoque, ex Indiis Orientalibus advectum, multo minori pretio vendi posse, quam quod in Coloniis Occidentalibus colitur; cujus rei praecipua causa in eo est, quod in Indiis Orientalibus huic culturae vacatur ab hominibus liberis, exigua admodum mercede conductis (10).

III. Plurimae autem sunt objectiones, quibus hanc de mercenariis operis sententiam infringere conantur ad-versarii, quibus igitur solvendis quantum fieri possit opera navanda est. Primum itaque dicunt, necessarium hominum liberorum numerum, quibus tamquam mercenariis coloni uti possint, numquam adfuturum. Resp. vero, numquam defuisse, neque in posterum adeo defuturos, angustioris fortis homines, quos, etsi flagella aliaque violenta remedia, quibus servi ad fubeundos labores coguntur, absint, vitae necessitas impellat, ut pacta mercede eos obire velint: *Graeculus esuriens in caelum susseris, ibit*; neque tamen opus est, ut ad ejusmodi homines Coloni refugiant, quos magnae mercedis meliorisque conditionis spes e Patria elicere possit; ipsa fervorum copia, quae in Coloniis adest, cum gens illa sub libertatis auspiciis sobolis fertilissima sit (11), ad omnes labores fubeundos abunde sufficiet. Objiciunt vero, vanam esse hanc spem, Afros illos, liber-

(10) Vid. Simonde de Sismondi l. l. pag. 40. » *Le prix de la journée de l'Indien libre est presque cinq fois moindre que le prix de la journée du nègre esclave.* Et Humboldt l. l. p. 185. » *Le salaire du manouvrier ne passe pas six sous par jour au Bengale. L'entretien des nègres coûte aujourd'hui plus de vingt francs par mois dans l'île de Cuba.*»

(11) Vid. quae diximus Cap. praeced. §. 3.

bertate donatos, laboribus perficiendis honesta mercede vacaturos esse, quoniam gens illa desidia adeo est dedita, ut nullo, nisi flagelli incitamento, ad opus impelli possit (12). Resp. vero, erroneam esse et omnino falsam hanc argumentationem, quae ab Afris, turpissimo durisimoque servitio pressis, ad Afros liberos conclusionem admittat, cum ex ipsa servili conditione haec Afrorum desidia, quam tantopere jaçant, explicanda sit; quippe in qua omnes ad industriam excitandam stimuli, homine, ratione praedito, digni desunt, in eorumque locum turpissima succedit flagellatio, tantum ab honesti laboris studio servis inspirando remota, ut potius cujuscumque, licet levisimi, operis taedium iis injicere debuerit miserosque homines eo perducere, ut, cum omnes laboris fructus ipsis pereant, nullum illis majus bonum excogitari possit, quam placida laborum vacatio. Quapropter in eo quidem, cum adversariis convenimus, licet de causis hujus rei toti quanti ab iis differamus, plerosque servos, quorum operis coloni utuntur, ita esse comparatos, ut non nisi cum summo, tum ipsorum, tum Coloniarum discrimine, statim libertate donari possint (13); nequaquam tamen nobis desperandum videtur, ad industriam illos sensim revocari posse, si inprimis libertas ipsis, tamquam laboris pretium, proponatur, atque ita sensim addiscant sibi suisque ex proprii laboris fructibus prospicere. Quae quidem opinio non tantum probabilibus nititur conjecturis, sed multorum,

de

(12) M. l'Abbé Dillon, *Mémoire sur l'esclavage colonial, la nécessité des Colonies et l'abolition de la traite des nègres*, Parisiis 1814 pag. 35.

(13) Cf. quae hac de re dixit Brougham *l. l. T. II.* pag. 146. et 147, et alibi passim.

de humano genere optime meritorum, experientia insigniter etiam confirmatur; *Quakeri* (14) scilicet, genus hominum, qui, licet fanatico furore correpti, vitam tamen debebant Christianae religionis praeceptis dignissimam, quorum magna pars ex Anglia in Americam septentrionalem sese contulerat, servitutem Afrorum, tum temporis ibi etiam valde usitatam, tolerare hominis Christiani sanctitate perquam indignum censebant; adeoque ei tollendae plurimam operam navarunt. Qua in re tamen non minus prudenter, quam juste agentes, cum et ipsi perspicerent, quam difficillimum sit, ex hominibus, durissimo servitutis iugo oppressis, et brutorum instar habitis, repente cives fingere, legum socialium fideles observatores, ante donatam libertatem, rerum scientiarumque utilium et Christianae inprimis religionis notitia eos imbuerunt; nec spes eos fefellit, nam qui nec gravibus laboribus vexati, nec saevis poenis coerciti, fideles servi fuerant, iidem, accepta libertate, sese dominorum liberalitate non indignos praestare non desierunt (15).

IV. Altus generis objectio haec est; sunt enim, qui dicant, opera illa, ad quae servi in Colonia adhibentur, adeo dura esse, ut non nisi a servis, inspectoris flagello continuo excitatis, perfici queant. Praeterquam autem, quod cum Montesquievio (16) dicendum vi-

(14) Ita dicti ab Anglica voce *quake*, tremo; quod sese divinitus inflatos praedicabant, atque hoc Divino inflatu affecti, nervis *contremere* solebant.

(15) Vid. Frosfard *l. l. T. I. p. 36—46.* et M. de Crevecoeur, *Lettres d'un Cultivateur Américain T. I. pag. 173 et 217.*

(16) *Esprit des Loix L. XV. c. 8.* Cf. etiam Robertson, *History of America V. II. p. 496.* in nota LXXXI.

videtur, sub nullo coeli tractu labores adeo duros inveniri posse, quin ad eos subeundos spe lucri incitari possint homines liberi, illud quoque observandum est, labores illos, qui a servis in Coloniais perficiuntur, per se ita duros non esse, dummodo moderate, non vero avare, ipsis imponantur. Nam neque cultura sacchari, quae tamen omnium difficilissima est, neque coffeae, neque gossypii, qui quidem fructus Coloniaarum sunt frequentissimi (17), tantos tamque duros labores exigit, quanti a multis mercenariis in Europa exigua mercede subeuntur. Colonorum vero avaritia, cum fere cuncta fervorum manibus perfici velint, nulloque machinarum, quibus in Europa optimo succesu utuntur, auxilio, propter impensas in earum constructionem faciendas, culturam sublevant, labores illi immensum in modum aggravantur. Praeterea, quam parum haec objectio valeat, multarum regionum exempla, ubi tum sacchari, tum aliorum fructuum cultura ab hominibus liberis fit, abunde satis docent (18).

Eodem spectat alia objectio, ab omnibus fere servitutis Afrorum patronis, summa fiducia, quasi quae solvi non posset, centies repetita. Nempe ita comparatam esse affirmant culturae in Coloniais naturam, ut, nisi multorum hominum concursu, qui nullo praetextu sese operi subtrahere possint, recte illa perfici nequeat, aliam autem rationem inveniri non posse, qua de necessario multorum, uno eodemque tempore ad eundem

fi-

(17) De modis, quibus haec cultura fit, cf. Frosfard *L. I. T. I. p. 324—330* aliique.

(18) Cf. quae diximus §. 1. nec non Frosfard *L. I. T. II. p. 167—172. Poivre, Voyage d'un Philosophe, p. 93 seqq. Simonde de Sismondi L. I. passim, aliique multi.*

finem congregatorum, auxilio certi sint Coloni, praeter servitutem; cum, si a mercenariorum illi arbitrio penderent, gravissimis saepe damnis forent obnoxii (19). Ne igitur de pluribus officinis sive fabricis Europaeis dicamus, quarum vastissimus ambitus multorum itidem hominum concursum postulat, et in quibus, licet opera durissima perficienda sint, mercenariorum, sola lucrisque excitatorum, numerus sufficiens fere semper invenitur; turpi illi errore causas et effectus miscere nobis videntur, qui ex praesenti culturae in Coloniis statu, eandem culturam, nisi multorum hominum concursu, ex unius custodis arbitrio brachia moventium, diutius perfici non posse, temere argumentum ducant. Non, quia nullo alio modo culturae in Coloniis poterat vacari, servis usi sunt, sed, quoniam a primis inde Coloniarum initiis servilis ratio invaluit, secundum hanc operarum et culturae modus fuit institutus. Praesentem culturae modum, si servitus penitus tolleretur, aliquantum fore immutandum, clare patet; sed, quin ipsa illa immutatio tum civitati tum privatis non exigua commoda sit allatura, nobis quidem nullum dubium superest. Nempe, qualiacunque opera, quae priusquam hominum necessitatibus possint inservire, identidem sunt expolienda, quibusque variae formae mutationes sunt subeundae; sive omnes terrae fructus, qui, antequam homines iis vescantur, varie sunt praeparandi, eo majorem perfectionis gradum attingere, quo pluribus diversis artificibus fabrisve eorum exornatio, amplificatio vel emendatio demandetur, tum ratio tum experientia

sa-

(19) Vid. M. l'Abbé Dillon, *Mémoire sur l'esclavage Colonial, la nécessité des Colonies et l'abolition de la traite des nègres*. p. 56. Cf. Froelard *l. & T. II. p. 285 in nota.*

fatis docent. Praeterquam igitur, quod ex hac mutatione plures victum sibi quaererent, ipsa cultura, ceteraque fructuum, quos ex Colonia percipimus, praeparationes, variis augmentis et emendationibus insigniter amplificarentur, et nova adeo industriae via sterneretur (20).

V.

(20) Quem hic audiamus, valde miretur Vir Doctissimus Schwartz, *Reflations sur l'esclavage des nègres* p. 19. seqq. » Cette raison [objection scilicet illa, de qua in textu sermo est] ne peut séduire aucun homme capable de réflexion. » D'abord, on auroit prouvé la même chose de la culture du bled, de celle du vin, dans le tems que l'Europe étoit cultivée par des esclaves. Et il est aussi ridicule de soutenir qu'en Amérique on ne peut avoir du sucre et de l'indigo que dans de grands établissemens formés avec des esclaves, qu'il l'auroit été il y a dix-huit siècles, de prétendre que l'Italie cesseroit de produire du bled, du vin ou de l'huile si l'esclavage y étoit aboli. Il n'est pas plus nécessaire que le moulin à sucre appartienne au propriétaire du terrain, qu'il ne l'est que le pressoir appartienne au propriétaire de la vigne, ou le four au propriétaire du champ de bled. Au contraire, en général dans toute espèce de culture, comme dans toute espèce d'art, plus le travail se divise, plus les produits augmentent et se perfectionnent. Ainsi, bien loin qu'il soit utile que le sucre se prépare sous la direction de ceux, qui ont planté la canne, il seroit plus utile que la canne fût achetée du propriétaire par des hommes dont le métier seroit de fabriquer le sucre. Il n'y auroit encore aucun inconvénient, que les champs de sucre ou d'indigo fussent divisés en petites parties, soit pour la propriété, soit pour l'exploitation. C'est ainsi, que le sucre est cultivé en Asie, de temps immémorial. Chaque propriétaire d'un champ porté au marché le sucre de la canne qu'il a exprimé chez lui; et il vaudroit bien mieux encore qu'il vendit la canne ou sur pied, ou coupée, à un manufac-

V. Neque tamen ab altera parte negare nos possumus, fervorum operis utendi rationem, si tantum animi et consilii, quo plerique colonias petunt, ratio habetur, longe iis prae mercenaria opera esse praefendam. Nempe longe maxima eorum pars eo animo in Colonias sese conferunt, ut corradendis quocumque modo divitiis unice intenti, omnium ceterarum rerum, quibus vita eorum securior et jucundior simul fieri posset, nullam fere curam gerant; cum omnis eorum cogitatio viriumque contentio eo tantum spectent, ut post collectas opes Patriam repetant. Lepide eorum nonnullos sic loquentes inducit Broughamus (21): „ Pecuniam colligamus, qua reduces opulentam vitam Londini, Amstelodami, vel Burdegalae (22) degamus; quaerenda pecunia primum est, virtus post nummos, pecunia demum multarum est et magnarum voluptatum effectrix. Jam nunc in aurifodinis versamur; quamvis nulla hic voluptate fruamur, quamvis corporum valetudini pestifer aër immineat, quid refert? mollibus mox fulgentibusque lecti stratis membra reponemus. Opes, igitur, opes colligamus; praedaeque magnificentia justa reddet opum colligendarum remedia, quemadmodum laboris molestias eadem nobis sublevat. Licet autem vita nostra irreprehensa non sit, et mores rebus secundis sint depravati; non est, quod curemus, nam in Patria reduces ex civium nostrorum moribus iterum vivemus, sicuti olim, mare At-

„ lan-

turior. C'est aussi ce qui arriveroit en Asie, si le Gouvernement n'y étouffoit pas l'industrie; et dans les Isles, si la culture y étoit libre.”

(21) l. i. T. I. pag. 74.

(22) Bourdeaux.

„ laticum trajicientes, morum Europaeorum vincula
 „ continuo dejecimus. Itaque pecuniam nunc colliga-
 „ mus; posthac templis ditandis et nosocomiis adjuvan-
 „ dis tempus erit.” Hominibus ea mente in Coloniae
 degentibus, ad maturandum speratum illum in Patriam
 reditum, multo commodiorem esse fervorem, quam
 mercenariorum operis utendi rationem, quisque videt,
 neque tantum eam, qua a vernis opera perficiuntur,
 sed etiam illam, qua in locum eorum, qui laborum
 poenarumve gravitati succubuerint, alii succedant, ex
 Guinea invecti. Cum, scilicet, hisce Coloniae non tam
 curae sit, ut eorum villae necessarium et abundantem
 etiam quotannis victum, nec non cetera praebeant,
 quibus res privatae honeste augeantur, quam potius,
 ut brevissimo tempore quam plurimos reditus ex iis
 colligant, nulla habita ratione, utrum illud tum villis,
 tum servis, quorum opera reditus illi colliguntur, per-
 niciosum futurum sit; facile sequitur tum mercenari-
 orum, quippe e quorum arbitrio est, quantum tempus
 laboribus vacare velint, tum vernarum, quippe quorum
 major, quam invectorum cura habenda est, operas eo-
 rum consiliis minime prodesse; ita ut illa notio, quam
 Despotismo applicat Montesquievius (23), hisce
 hominibus summo jure videatur accommodanda, illos
 scilicet arbores fructiferas caedere, ut earum fructus
 consequantur. Hinc itaque ratio apparet, cur multi Co-
 loni, quamvis aequae perspexerint, quanta pericula ex
 ser-

(23) *Esprit des Loix* L. V. c. 13. » *Quand les sauvages*
 » *de la Louisiane veulent avoir du fruit, ils coupent l'arbre*
 » *au pied et cueillent le fruit. Voilà le Gouvernement*
 » *Despotique.*”

servorum Afrorum commercio Coloniae et Colonis imminuant, et quam parum hac ratione verae et stabilitum civitatum, tum privatorum utilitati consulatur, nihilominus omnium virium contentione commercii servorum tollendi consilium, tamquam suis coloniarumque commodis exitiosum, impedire et effectu destituere conati fuerint; hoc continuo fordidissimae avaritiae solatium inter se jactantes: „ Ne curemus, pericula haec; non tanta sunt, ut, priusquam nos abeamus, illa ad „ maturitatem pervenire nostramque fortunam opprimere „ possint; et, quod post nos fiet, quid nostra refert?“

VI. Ex iis igitur, quae hoc et praeced. cap. diximus, facile sequitur, proscripturos esse servorum Afrorum commercium, nec non damnaturos eorum servitutem, tamquam veris suis commodis contrariam, omnes illos, qui recte fortunae suae et felicitati consuli non posse, nisi iustitia observetur, judicent; deinde illos, qui ex civitatis, cujus membra sunt, salute sua commoda maxime comparare, et communi utilitati privatam aliquam utilitatem sacrificare didicerint; praeterea illos, qui cuncta ea, quibus mores facile admodum corrumpantur, amovere serio studeant (24); nec non illos, qui

(24) Quem in modum plerorumque Europaeorum mores in Coloniae corrumpantur, paucis verbis exprimere conatus est Brougham l. l. T. I. p. 77 et 78. » Van daar (ab Afrorum » servitute) de walgeelykste besmetting, met welke het ver- » blyf in de nieuwe Wereld het karakter van den Europeër » bezwalkt — een zucht tot onbedwongen magt over zijne » minderen, — een baatzuchtig gebruik maken van hunne » ongelukkige gesteldnis, ter bereiking van eigen belangen — » eene schandelyke zorgeloosheid omtrent het geluk van een » geslacht, in welks genietingen hy met geen gevoelig hart » zou kunnen deel neemen, — eene versfoeilijke onverschelijkheid.

„ om-

qui modicam fortunam tute possidere et hominum sibi devinctorum coetu sese circumdare, quam immensas divitias comparare et hostium domesticorum (25) insidiis continuo expositos esse malent; denique illos, qui, licet eorum, quae diximus, minorem curam gerant, ex iis, quae acciderunt, nostrorumque temporum ratione, omnia illa commoda, quae superiori aetate varias ob causas immense ita percipiebantur, sensim fore peritura, adeoque modis, nostro aevo magis convenientibus, sibi prospiciendum esse, jure aestimabunt. Itaque neminem deïn futurum spero, qui servitutis Afrorum ferius defensor existat, nisi pauci illi, qui propter inextinguibilem sordidamque avaritiam, nullam neque justitiae, neque humanitatis, neque morum corruptelae, neque prudentiae, sive civilis, sive privatae rationem habentes, tecto jam collapsuro capita subdere, ut cum vitae fortunatumque periculo paululum auri corradant, nequaquam extimescant; ac

Avidum sua saepe deludit aviditas.

» omtrent het lijden zijner medeschepselen, — en eens niet
 » min haatelijke hebbelijkheid om elke eigenzinnige luim of
 » begeerte ten bunnen kosten inte volgen. Ziedaar de nood-
 » wendige gevolgen van dien onnatuurlijken staat der maat-
 » schappij, welke het zweet en het stof aan den Afrikaan
 » toewijet, en voor den Europeër de vrucht en de schaduw
 » behoudt.”

(25) Vid. Seneca, *Epist.* XLVII, „ Quot servi, tot
 „ hostes.”

C A P U T IV.

Servitus ipsis servis quoque est perniciosissima; adeoque cuncta videntur concurrere, ut ejus abolitionem suadeant.

I. **H**aec enunciatio, *Servitus, quae in Coloniis Europaeorum Occidentalibus obtinet, servis est perniciosissima, est ex genere earum, quae probatione non indigent, quippe evidētiaē notam, ut ita dicam, exhibentium. Quis est enim, cujus adeo hebes ingenium sit, obtususque animus, ut non ultro pervideat, homines, in abjecto illo statu degentes, in quo Afri in Coloniis versantur, eo miseriarum esse adactos, ut non tantum omnibus illis voluptatibus, quas cunctis mortalibus, ratione praeditis et libertate gaudētibz, benigna manu natura largita est, sint destituti, sed omni etiam eas consequendi spe in perpetuum orbati? Quare quidem ulteriori hujus rei probationi possemus superfedere, nisi omni tempore fuissent, hodieque sint (1), qui*

per

(1) Breve eorum argumentorum compendium, quibus nuperrime in Gallia hanc causam defenderunt adversarii, nobis dedit *Simonde de Sismondi l. 4. pag. 63 et 64. La France est inondée de brochures dans lesquelles on ose affirmer, que la condition des nègres de St. Domingue étoit bien supérieure, à celle des serfs de Pologne et de Russie; qu'ils vivoient fort heureux, plus heureux que nos paysans, puisqu'ils n'avoient point de responsabilité, que le travail est la condition de l'homme, et qu'esclave ou*

,, li-

per insignem malam fidem, vel crasam hominum dignitatis, et voluptatum, huic convenientium, ignorantiam, causam pessimam, non dico defendere, sed colore quodam specioso, licet defendentis famam probabili admodum malignitatis suspicione contaminante, exornate conati fuerint. Sunt enim eorum argumenta vel ex arbitrariis comparationibus, in quibus ab altera parte omnia alicujus conditionis commoda supra modum efferruntur, alterius autem incommoda; vel ex falsissimis verae felicitatis, hominis dignitati convenientis, notionibus repetita. Sic v. c. inter agricolae Europaei et servi in Colonis conditionem, multi comparationem instituerunt (2), et, positis ab altera parte fegete grandine contusa; horreis incendio deletis, pecore lue pecuaria arrepto; uxore liberisque vehementibus et diuturnis morbis conflictatis, et similibus; ab altera autem parte sustentationis certitudine, curarum privatione, quae

2. *libre il y est également assujéti, mais que les jouissances du nègre, bien supérieures aux nôtres, ne sont point restreintes par une morale triste et sévère; qu'il est libre dans ses amours; qu'il obéit à ses sens sans connoître les chaînes du mariage et les devoirs de la paternité; que si ses fautes sont sévèrement punies, ses crimes sont traités avec bénignité; et que plus d'un homme libre auroit péri sur l'échaffaud pour des forfaits qui dans l'esclave n'attirent qu'une correction paternelle; que libre enfin de soucis sur l'avenir il sait que sa condition ne peut jamais changer.* Cum his argumentis cf. M. l'Abbé Dillon l. l. pag. 7—26. *Appel aux nations commerçantes et maritimes de l'Europe, ou réflexions rapides et impartiales sur la question de la traite, Paris 1814 p. 36. seqq.* nec non Froslard l. l. T. II. pag. 287—303.

(2) Cf. praeter Simonde de Sismondi l. l. etiam Froslard l. l. T. II. pag. 288—291.

ex caritate annonae aliisque causis facile orientur, sobolis procreatione, propter nullam ejus educandae et curandae sollicitudinem impedita, et similibus; servi conditionem multo potiorum esse temere concluderunt. Alii (3) militem Europaeum et servum Coloniam inter se comparantes, tum quod ad poenarum severitatem et frequentiam, tum quod ad continuam et nullo momento intermissam ex alterius voluntate vivendi necessitatem atinet, servilis status prae militia excellentiam, falso praedicarunt; cum nihil interesse, utrum aliqua poena ex lege, licet severissima, nota tamen, an ex injusto plerumque heri arbitrio infligatur? et utrum quis superioris alicujus, a summo Imperante legitime constituti, jussis, in suam et communem utilitatem, definitam obedientiam praestare, an vero ex facvi plerumque tyranni voluntate et in solam ipsius utilitatem, vivere operasque perficere necesse habeat? nemo, nisi ipse injustus sit, facile affirmaverit. Quod autem deinde diximus, hos servitutis patronos falsas verae felicitatis, hominis dignitati convenientis, notiones prodere, illud exinde probamus, quod servum eo feliciorum praedicant, quo brutis similior ille sit, et rejectis omnibus illis moralibus animi affectibus, homini prae ceteris animalibus propriis, et generis humani praestantiae artificio vinculo ab ipsa natura annexis, effrenatam et indomitam cupiditatum libidinumque expletionem, tamquam felicitatis fastigium, celebrare non verentur (4). Quae quidem legentes cum recentiori quodam

(3) Vid. imprimis M. l'Abbé Dillon *l. l.* p. 12, 18, 22 et 23.

(4) Quae hic iterum audiamus meretur Simonde de Sismondi *l. l.* p. 84 et 85: „C'est ainsi que dégradent
„ l'hom-

dam Philosopho (5) non exclamare non possumus:
 „ Quaecumque tandem personam induas, o servitus!
 „ qualemve nobis faciem ostendas, nihilominus tetra
 „ tua imago inis medullis infixamanebit, et poculi
 „ servilis, licet blanda illud offeras, eadem semper erit
 „ amaritudo, quamvis millies millia mortalium eam fup-
 „ ditus exhaustisse videantur! — Tui tantum, dulcis-
 „ ma Libertas! aethereum numen, quod quisque mor-
 „ talium adorat! tui aspectus, tui favores voluptatum
 „ ple-

» l'homme au niveau de la brute, on ne veut tenir compte
 » dans l'existence de notre prochain d'aucune des affections
 » morales qui font notre bonheur ou notre misère. On ne
 » compte pour rien la crainte constante et l'humiliation,
 » on ne compte pour rien la privation de toute espérance,
 » car la condition du nègre peut devenir encore plus sé-
 » cheuse, par la faillite de son maître, événement si fré-
 » quent dans les îles: par une vente qui rompt toutes ses
 » habitudes, qui le foumet peut-être à ce qu'on appelle
 » les petits blancs, les plus cruels de tous les patrons; mais
 » cette condition ne peut pas s'améliorer, car elle ne peut
 » devenir assurée. On ne compte pour rien la privation de
 » toutes les affections de famille, ou, selon les caprices
 » du maître, l'abandon des liens du sang une fois qu'ils
 » ont été consacrés; on ne compte pour rien l'extinction
 » dans le coeur de l'homme du sentiment de la vertu, de
 » celui du juste et de l'honnête, et l'on présente comme
 » compensation l'avarice du maître qui soustrait son esclave
 » à la punition des grands crimes; on ose faire consister
 » le bonheur de l'homme dans la destruction de ces senti-
 » mens de retenue, de pudeur, de fidélité conjugale, que
 » tous les voyageurs s'accordent à représenter comme distin-
 » guant la race Africaine dans sa terre natale; et lorsqu'on
 » y a substitué cette dissolution effrénée, que la dégradation
 » des nègres dans les îles a rendu universelle, on ne rai-
 » git pas de dire qu'ils en sont plus heureux.”

(5) Sterne, *Voyage Sentimental*.

„ pleni sunt, et usque dum ipsa natura mutetur, vel
 „ pereat, dona tua erunt jucundissima. Nullius un-
 „ quam Philosophi argutiae nivae; qua induta es,
 „ tunicae maculam injicere; nullaque ars chemica au-
 „ reum, quod geris, sceptrum, fastidium efficere va-
 „ lebunt.” cet.

II. Quae cum ita sint, jam nunc, remotis, quan-
 tum per virium tenuitatem licuit, omnibus illis, quae
 quasi aditum impedire videbantur, ad eam Disertatio-
 nis partem accedimus, in qua principali, ut dicunt,
 quaestioni erit respondendum. Quamvis enim ex iis,
 quae hucusque diximus, et ex toto orationis habitu
 atque contextu, facile quisque perviderit, quaenam hac
 de re nostra sententia sit, instituti tamen ratio flagitare
 videtur, ut tum ipsam quaestionem, tum nostrum de
 ea iudicium dilucide exponamus. Cui accedit, quod,
 cum ipsa haec quaestio sponte in duas partes distingua-
 tur, singulatim dijudicandas, responsio quoque duplex
 esse debet; ne erroribus, ex affinium quaestionum
 conjuncta tractatione facile oriundis, aliquis locus re-
 linquatur. Est autem duplicis quaestionis altera haec:
*Utrum recte fecerint Angli ceterique populi, qui ser-
 vorum Afrorum commercium lege sustulerunt? —*
 Altera haec: *Utrum prudentia civilis suadeat, servi-
 tutem Afrorum, qualis hodieque in Coloniae viget,
 penitus abolere? —* De singulis pauca videamus.

III. Quod igitur ad priorem quaestionem attinet, si
 illud tantum intelligeretur, utrum *juste* fecerint Angli
 ceterique populi cet? facili admodum negotio homines
 eo redigerentur, ut unanimi consensu agnoscerent, jus-
 titiam, religionem, humanitatem uno quasi ore a cul-
 tissimo nostro aevò plenam hujus, generi humano in-
 fidentis, dedecoris abolitionem petiisse, adeoque omnes
 il-

illos populos, qui horridum fervorum commercium legibus sustulerunt, justitiae, religionis, humanitatis praeceptis obsecutos, de toto humano genere optime meruisse. Quoniam vero ab eo inde tempore, quo de Afrorum commercio tollendo quaestio primum agitata fuit, magis de damnis quibusdam pecuniariis, quae ex sublato hoc commercio sibi imminere putabant, quam de praeclaro illo praecepto, quo docemur, justitiae leges a nullo umquam populo impune violari (6), homines videntur fuisse solliciti, omnes illi, qui humanitatis causam susceperunt, hisce quoque difficultatibus obviam eundum esse censuerunt, ut plenam et indubitatam victoriam ab adversariis reportarent. Quorum nos vestigia secuti, quantum in nobis virium fuit, ei scopo impendimus, ut probarem, utilitatem hic pari gradu cum

(6) • Nicht weiter zu gedenken der Gefahren und schädlichen Folgen, die durch eine feindselige und ungerechte, Politik Staaten von auszen her sich zuziehen, und die oft, wenn sie sich derselben am wenigsten versehen, zu ihrem Verderben ausbrechen, so sind die sittlichen Folgen im innern einer Nation von solch einer Beschaffenheit, dasz sie den schrecklichsten Beweis der Wahrheit abgeben, dasz die Naturgesetze nie ungestraft übertreten werden. Man wird schwerlich ein Beyspiel aus der Geschichte auffiellen können, dasz eine Nation in ihrem Betragen gegen andere Nationen die Gesetze der Gerechtigkeit verachtete, dem Eigennutze und der Hirschfucht sich überliesz, ohne dasz sie im gleichen Verhältnisse aufhörte, tugendhafte Bürger zu haben. Und umgekehrt wird man finden, dasz so lang ein Volk durch bürgerliche Tugend sich auszeichnete, es auch gegen seine Nachbarn und Feinde Gerechtigkeit und Großmuth bewies." Vid. Feder, Untersuchungen über den menschlichen Willen cet. L. V. c. 2. §. 47. Op. T. III. p. 273 et. 274. Cf. etiam S. I. c. 4. §. 4.

cum justitia procedere, ita ut quod justitia juberet, id utilitas suaderet. Quod quidem, postquam perspicue demonstrasse nobis videmur, nunc tamquam thesin ponere non dubitamus: *Anglos ceterosque populos, qui servorum Afrorum commercium lege sustulerunt, non tantum justitiae et humanitatis praeceptis fuisse obsecutos, sed etiam civitatum et privatorum commodis insigniter consuluisse.* — Scimus quidem, difficultatem hic posse moveri ex eo, quod non eadem ubique omnium civitatum utilitatis ratio, sed propter mutuam aemulationem sibi saepe e regione opposita sit; at vero, praeterquam quod in ultima hujus Disf. Sectione haec quaestio iterum erit attingenda, illud hic observare liceat, tantam hoc respectu inter diversam duarum civitatum utilitatis rationem, differentiam esse non posse, ut inde effici possit, servorum Afrorum commercii abolitionem alteri genti perniciosam futuram, alteri utilem, licet major forte huic, quam illi, ex hac abolitione utilitas nascatur. Deinde etiam hoc observandum videtur, nos inter privatos, quorum commodis hac abolitione consultum esse diximus, nequaquam recensuisse illos mercatores, qui servis ex Africa avehendis et in America vendendis unice vacarent; quoniam perspicuum est, horum nonnullis abundantem, licet injustam, opum colligendarum viam esse interclusam; quamvis ab altera parte forte cum Frosfardo (7) dicendum sit, hoc commercium, etiamsi tantum mercatorie spectetur, multis navium armatoribus perniciosum existere, et multis gravibusque damnis obnoxium esse. Quod, etiamsi minus verum esset, hic tamen, si umquam, usu veniret regula illa prudentiae civilis, satius esse, ut multis bene

(7) *I. I. T. II. pag. 364 seqq. et Cf. Phil. Eleuth. over den slavenstand, pag. 83.*

ne fit quam paucis; adeoque in hac quaestione dedicanda nulla horum hominum ratio habenda visa fuit, qui ex criminum horrendorum cumulatione (8) divitias sibi quaerant; cum praesertim innumerae aliae viae restent, in quibus industriam suam exercere et pecuniam collocare possint (9).

IV.

(8) Egregie nobis hos homines delineavit Raynal *Hist. Phil. et Polit. T. IV. p. 169.* » *Un mot-encore, puis qu'il*
 » *faut tout dire: Cartouche assis au pied d'un arbre dans*
 » *une forêt profonde, calculant la recette et la dépense de*
 » *son brigandage, les récompenses et les salaires de ses*
 » *agens, et s'occupant avec eux d'idées de proportion et de*
 » *justice distributive. — Vous ne le croyez pas. — Mais*
 » *l'armateur qui courbé sur un comptoir, règle, la plume*
 » *à la main, le nombre d'attentats, qu'il peut faire com-*
 » *mettre sur les côtes de Guinée; qui examine à loisir com-*
 » *bien chaque Nègre lui coutera, de fusils à livrer pour en-*
 » *tretenir la guerre qui fournit les esclaves, de chaînes de*
 » *fer pour le tenir garrotté sur son vaisseau, de fouets*
 » *pour le faire travailler; combien lui vaudra chaque goutte*
 » *de sang dont le Nègre arrosera son habitation; si la Na-*
 » *gresse donnera plus à sa terre par les travaux de ses*
 » *mains, que par le travail de l'enfantement; si — Que*
 » *pensez-vous du parallèle? — Le voleur attaque et prend*
 » *l'argent; le négociant prend la personne même. L'un vio-*
 » *le les institutions sociales; l'autre viole la nature. Oui*
 » *sans doute; et s'il existoit une religion qui autorisât,*
 » *qui tolérât, ne fût-ce que par son silence, de pareilles*
 » *horreurs; si d'ailleurs occupée de questions oiseuses ou st-*
 » *ditieuses, elle ne tonnoit pas sans cesse contre les auteurs*
 » *où les instrumens de cette tyrannie; si elle faisoit un cri-*
 » *me à l'esclave de briser ses chaînes; si elle souffroit dans*
 » *son sein le juge inique qui condamne le fugitif à la mort;*
 » *si cette religion existoit, il faudroit en étouffer les ministres*
 » *sous les débris de leurs autels."*

(9) Vid. inprimis Brougham, *Beknopt verslag van den Staat des geschildt aangaande den Slavenhandel, p. 32. seqq.*

IV. Quod autem ad alteram quaestionem attinet: *Utrum scilicet prudentia civilis suadeat, servitutem Afrorum, qualis hodieque in Colonis obtinet, penitus abolere?* quantum quidem nobis videtur, hic etiam affirmando videtur respondendum. Praeterquam enim quod non minor injustitia sit, homines, quorum nulla erga nos culpa est, in perpetuam servitutem damnare, quam infantes vi et dolo e patria auferre; praeterquam quod in hac praefertim sectione abunde satis videamur probasse, multas hoc in primis tempore adesse utilitatis rationes, quae hoc humanitatis officium si minus directe suadeant, saltem non disuadeant, aliud etiam est gravissimum argumentum, quod pro nostra sententia videtur militare. Aevi scilicet, quod vivimus, sive temporis, uti dicunt, ingenium, i. e. universa illa ac fere communis hominum, uno tempore viventium, de quibusdam rebus opinio, magis quam omnia, quae ab acutissimis Philosophis possint proferri, ad plenam Servitutis Afrorum abolitionem conferre videtur. Quis est enim, qui, res humanas paulo attentius considerans, non ultro pervideat, tanta nostris diebus in hominum ingeniis incrementa cepisse dignitatis et aequalitatis humanae notiones, ut, quamvis gentes fuerint, quae in iis modum excesserint, adeoque propter vim illam naturae, quam *Reactionem* Physici vocant, toti fere Europae per aliquod tempus in turpissimam servitutem redigendae ansam dederint, nostri tamen saeculi character illae jure dici possint? Idem enim libertatis et aequalitatis animus, qui Galliam caedium, rapinarum, bellorumque civilium spectaculum reddidit, quorum e gurgite monstrum surrexit, quod multos annos ferro et igne totam Europam devastavit; idem, quamvis magis moderatus et ad rerum atque societatis naturam magis temperatus,

ex

ex mancipiis Polonicis, Danicis, Bohemicis cetera agricolas felices procreavit; idem, propter commune periculum et mutui auxilii necessitatem, Principes et subditos sibi invicem propinquiores reddidit et, refractis pristinis claustris, aditum ad principes omnibus patefecit; idem, Oceanum Atlanticum trajectus, novis regionis oriundis ansam dedit et hodie etiam contentiones *Independentium*, uti vocantur, contra Hispanorum exercitus sustentat (10); idem denique *Afrorum*, nunc etiam in servitute degentium, vincula solvet, nisi iis antea solvendis ipsi Principes animum ferio intendant. Tanta enim est hujus temporis ingenii vis, ut neque fulminibus a Capitolio demissis, neque tonitru e tormentis bellicis exploso, subigi possit aut domari (11);

qua-

(10) De origine et progressu hujus belli vid. *Nederl Staats-Courant* 5. O^o. 1815. no. 256 pag. 1. 26. O^o. 1815 no. 254. pag. 1 et 2. 27. O^o. 1815. no. 255. pag. 1 et 2. et 10. Nov. 1815. no. 267. pag. 1 et 2.

(11) Perquam vere et eleganter ait Ockerse, *Napolton-tische Redevoeringen*, T. II. pag. 81—83. » Laat vrij dan » vooroordeel en listige heerschzucht voortaan ontwerpen sme- » den, om uit het puin der gesloopte ruinen van vroeger of » later tijd een nieuw gebouw van kerkelijk of wereldlijk » despotismus te doen herrijzen; — ik houde mij verzekerd, » dat geene pogingen daartoe op den duur gelukken zullen; » maar dat elke stichting, door willekeur of bijgeloof opge- » trokken, weldra zal instorten en het zwakke hoofd ver- » pletteren, dat zich onder haar waggelend dak nog wagen » durft. De almachtige geest des tijds, die menschen tot » zelfstandige wezens, gebieders tot vertegenwoordigers en » zaakwaarneemers der menschheid gemaakt, en eene onher- » roepelijke scheiding gevestigd heeft tusschen het gebied der » zeden en dat der Staten; — die geest laat zich door ge- » ne aanblikfems van het Kapitoel, door geen kanonnendon- » der van het krijgsgeweld weder uitdrijven uit het verlichte » hoofd

K

» hoofd

quapropter non tantum prudentia civilis suadere, fed etiam sapientia, quae tam populos, quam privatos, tempori esse intervendum docet, jubere videtur, ut orbis terrarum Principes diligentem hujus rei curam gerant.

V. Sunt tamen, qui putent Principi jus non competere, fervos, quorum proprietatem Coloni legitime consecuti sunt, in libertatem vindicandi; ne, scilicet, jura Societatum sanctissima, qualia v. c. jus privati domini, et alia sunt, a Summo Imperante temere laedantur; neque etiam aliquid hic valere ajunt, quod homo in alius hominis proprietatem cadere non posse vulgo dicatur, quoniam leges civiles fervorum comparisonem inter justos domini acquirendi modos referant. Justa, fateor, haec acquisitio est, si tantum civiliter confideretur, quemadmodum in hac quaestione certe confideranda est, adeoque, cum nemo invitus rebus suis, modo lege constituto acquisitis, nisi poenae nomine vel in publicam utilitatem, privari possit, sequi videtur, Principem, invitis Colonis, fervos subito liberos proclamare jure non posse. Quin autem hac in re Principes dominio eminenti, civitati competenti, in publicam utilitatem uti possint, dummodo hi, qui suum

[omit-

» hoofd en vrije hart der mondig gewordenen menschheid;
 » zijn rijk is even onöoverwinnelijk als algemeen, — het is
 » de eenige ware bestaansbare monarchie." et mox pag. 102
 et 103. » Hoe beklag ik U, zwakke wormen, die U on-
 » derwindt met insktenkracht het reusachtig praalgebouw
 » der menschelijke denkbeelden en begrippen, door den al-
 » magtigen tijdgeest gesicht, te ondermijnen of openlijk aan-
 » teranden. Ellendigen! bergt U, leert u naar uwen tijd
 » soegen, of de adem der menschheid blaast u weg; het
 » minste gruisje, dat van deze hoogte op u neerstort, ver-
 » plettert U tot siof."

amittunt, indemnes ferventur, causam equidem non video. Quoniam vero haec pretii emtionis compensatio, propter immensum fervorum numerum, non nisi ab ipsis servis fieri potest, paulatim tantum servitutem in Colonia aboleri posse, ipsa res docet; quod si etiam hoc damnum dominis de publico posset refarciri, prudentia civilis tamen subitam et repentinam servitutis abolitionem, tanquam Colonia periculosam, vetaret. Cum enim rerum humanarum natura ita comparata sit, ut subitae status alicujus aut conditionis mutationes optimum quemque moveant et sui compotem vix esse sinant, quidnam ab iis hominibus expectandum foret, qui tantum non sibi moderari didicerunt, ut potius, auctoribus inprimis dominis, quorum intererat, servos suos brutis simillimos evadere, effrenatis libidinibus obsequium praestare sint assuesciti, quid, inquam, ab his expectandum foret, si, solutis servitii vinculis, liberi et sui juris subito proclamarentur, ne cogitare quidem ausim (12). Quapropter, ut haec pericula evitentur, libertas non statim concedenda, sed tanquam industriae morumque probatorum praemium servis proponenda videtur; ita ut sensim sensimque, quo magis laboribus proprio impetu vacent, et rem suam diligentia atque parsimonia augere studeant, eo majorem libertatem nacti, tandem e servis, dominorum avaritiae instrumentis, legum servi fiant; de quo quidem, quidquid aliter alii sentiant (13), nequaquam desperandum esse, alibi (14) diximus. Cum vero, ne benignissimum

(12) Vid. quae hac de re diximus cap. praeced. §. 3. et auct. ibi cit.

(13) Vid. supra M. l'Abbé Dillon l. l. passim.

(14) Cap. praeced. §. 3.

num hoc consilium penitus irritum cadat, et vanis Philosophantium somniis mox annumeretur, Legislatoris interventu opus sit, qui imperii herilis fines modumque, quo servi, pretio emtionis dominis soluto, proprio labore libertatem nancisci possint, accurate definiat, jam hic nos subsistimus, ne per juvenilem arrogantiam rebus nos immiscere videamur, quas, quantum quidem ad Colonias nostras attinet, praeclara Regis nostri augustissimi, eorumque, qui illi a consiliis sunt, sapientia atque humanitas, rectius judicent, et convenientius curent (15).

V. Itaque jam nunc, praeeuntibus summae auctoritatis viris, propositum, quod petimus, videmur esse consecuti; quod si, uti temere affirmant adversarii (16), omne judicium, super hac re ab iis latum, qui Africam et colonias ipsi non viderint, erroneum sit, cum his errare, quam cum illis recte sentire malimus; quoniam, quidquid argumentorum ab his proferatur, justitiam tamen et humanitatem ab altera parte stare, ne ipsi quidem, nisi per mendacium, negare possunt. Quapropter, etiamsi illi humanitatis patroni, qui servorum Afrorum causam strenue susceperunt, quosque

46-

(15) Quidam autem hunc in finem imprimis observandum sit, docent Frosard *l. l. T. II. p. 249—287.* Simonde de Sismondi *l. l. p. 71—75,* aliique. Cf. etiam *Encyclopédie Littéraire,* voce *Nègre;* nec non Philaethes, Eleutherus, *over den Slavenstand,* pag. 86. seqq.

(16) Vid. M. l'Abbé Dillon *l. l. p. 5.* et alibi passim, et M. Palisot, *Baron de Beauvois: Réfutation d'un écrit intitulé: Résumé du Témoignage..... touchant la Traite des nègres, adressé aux différentes Puissances de la Chrétienté.* Proleg. et alibi passim.

μελανθροπέφιλους adversarii per contemptum vocant (17), doctrinam suam, nulla commodi socialis habita ratione, traderent, cujus rei falso ab adversariis insimulantur (18), ne tum quidem eorum partes a nobis relinquendas esse censeremus, et, si civitatum ac privatorem commoda cum justitia atque humanitate non possent conciliari, tum quoque, vel cum ipsa Coloniarum jactura justitiae et aequi viam a civitatum Rectoribus ingrediendam esse judicarem; idque eo magis, cum innumerae aliae rationes superfint, quibus gentes Europaeae industriam suam atque commercium cum summa lucri spe exercere queant. Ipsa Guinea v. c. tum propter soli fertilitatem, tum propter loci opportunitatem aliasque multas naturae dotes, navigationi et commercio amplificandis et extendendis egregie inservientes, ipsa Guinea, ante sublatum fervorum commercium caedum, rapinarum et summae barbariae horrenda fedes, nunc vero sensim sensimque ad morum culturam progrediens, vastissimum omnis generis commercii campum mercatoribus Europaeis offert; quamobrem iidem Philosophi, quos principiis suis Reip. commoda postponere adversarii arguunt, de civitatum suarum commodis vere solliciti, eandem hanc Guineam, cujus propter commercii genus, omnis generis atrocitates et fertilissimarum regionum, quin imo sui ipsius interitum secum ferens, nullum fere hucusque pretium fuisset, omnem jacturam, ex fervorum commercii aut servitutis abolitione forte ori-

(17) Vid. M. Palifot, *Baron de Beauvois l. l. p. 37e*

(18) Vid. M. l'Abbé Dillon *l. l. p. 5. » ces philosophes d'un jour, dont les coeurs glacés et les esprits prévenus disent froidement: périssent les Colonies plutôt que nos principes.*”

oriundam, largissime refarcituram cives suos docuerunt (19). Quorum quidem praeceptis, quae Angli jam optimo successu fuere secuti, augustissimus quoque et sapientissimus Belgii Rex, misis quibusdam navibus, duce Viro, cui haec provincia prae omnibus demandanda videbatur, in Patriae nostrae commodum obsequium videtur praestiturus; cui quidem benignissimi Regis humanissimo consilio, ut propitius sit atque insigniter faveat summus Deus, enixe precamur (19). Neque tamen est, quod eo consilio, ut Coloniarum jactura hoc modo refarciatur, Guineam, tamquam novam et abundantem lucri faciendi viam, mercatoribus commendemus; ipsis Coloniae suum manebit pretium, atque renovato splendore illae floreant, dummodo legi de servis non amplius invehendis stricte observandae, ceterisque mutationibus, quarum necessitatem temporum, quae vivimus, ratio cogitantibus abunde probat, faciendis animum serio intendant ii, quibus imperii fortuna populi commiserunt.

(19) Vid. Frosfard *L. I. T. II. p. 361—384* et Anq. ibi cit. Malte-Brun, *Annales de Voyages, de la Géographie et de l'Histoire T. XXIV. de la Collection et IV. de la VI. année de souscription, Cah. 70. in Sect. Perspective Coloniale du Senegal*, et, quod ad patriam nostram attinet, opusculum nuper editum, *de Goudkust*.

(20) Non absque laetitiae sensu legi potest, Regem nostrum humanissimum non tantum servorum commercium penitus sustulisse; verum etiam jusfisse, ut, ad opera in Coloniae Guineensibus perficienda, imprimis homines liberi, mercede conducti, adhibeantur. Vid. *Nederl. Staats-Courant 1. Februarij 1816 no. 28. pag. 4.*



 SECTIO QUARTA.

DE HIS, QUAE IN GRATIAM SERVORUM
 AFRORUM SCRIPTA FACTAEQUE SUNT.



 C A P U T I.

*De iis, quae ante agitatum publice in Anglia de com-
 mercio servorum tollendo quaestionem, scripta
 factaque sunt.*

NON medioerem voluptatem animo inde capimus,
 quod nostra aetas in illa inciderit tempora, in quibus,
 post irrita multa conamina, pacem atque indubitatam
 victoriam a fordida avaritia horrendaque crudelitate ju-
 stitia atque humanitas reportaverint. Quidquid enim
 bellicae laudis umquam acquisiverint Britanni, elatiori
 illi triumpho postponendum esse, omnes, qui arduam
 virtutis viam norint, facile agnoscunt; nam

*Latus regnes, avidum domando
 Spiritum, quam si Libyam remotis
 Gadibus jungas; et uterque Poenus
 Serviat uni (1),*

(1) Horat. Lib. II. Od. 2.

Quapropter, cum jam mihi ovantem et hostium spoliis decoram humanitatem adspicere contigerit, quod quidem jucundissimum spectaculum multi humani generis amici ardentissimis, ac irritis votis sibi speraverant, nunc etiam eorum memoriae, qui ad praeclaram hanc victoriam reportandam, tum scriptis, tum factis aliquid contulerunt, reliquam hujus Dissertationis partem consecrare in animo est. Tantum tamen abest, ut egregiis viris dignum monumentum erigere nos posse censeamus, ut potius, a tanto opere manus et animum arcentes, pauca admodum pro instituti ratione de iis, quae in servorum Afrorum gratiam scripta factaque sunt, disputaturi simus.

II. Licet autem ita longe lateque grasata fuit haec humani generis pestis, ut innumeras victimas impune immolaverit, licet Reges Principesque sua auctoritate flagitiosum hunc hominum raptum sanciverint et legitimum commercii genus pronunciaverint, ne tamen temere quis credat, justis et aequi notitia superiorum faeculorum homines ita penitus fuisse destitutos, ut de legibus humanitatis et justitiae, tales atrocitates expressè vetantibus, ne cogitatio quidem eos umquam inceserit; multos, sciat, a primis inde hujus commercii initiis, homines fuisse, qui nefandum hunc morem, tamquam populis, summa barbarie submersis, dignissimum, merito abominati sint. Quos inter Elisabetha, Anglorum illa Regina, postquam nonnullorum Afrorum, ab Hawkinsio, Anglo, per vim et dolum surreptorum (2), nuntius ad eam pervenisset, huic, ad se vocato, justam hujus sceleris indignationem significavit, et, severissimis poenis statutis, vetuit, ne quis post hac tali

cri-

(2) Cf. Supra S. II. c. 1. §. 4.

crimine sese pollueret (3). Cum vero, uti supra observavimus (4), homines virtutem semper callide ex cupiditatibus suis dimensi, et religione, re sanctissima, tam liberalitatis, quam crudelitatis instrumento usi fuerint, mirum non est, postquam fanatici quidam sacerdotes horrendam doctrinam, de quibuscunque rationibus, quibus Christianorum numerus posset augeri, licitis, vulgaverant, atrocissima facinora, ex dira auri fame proprie oriunda, sed sub specioso religionis promovendae praetextu perpetrata, non tantum poenis coercita non fuisse, sed etiam publica Principum auctoritate sancita. Hinc horrenda Americae devastatio, et incolarum caedes ac quasi extirpatio (5)! hinc primae Lusitanorum in Guineam invasiones (6)! hinc innumerae omnes atque inauditae Europaeorum per tria saecula crudelitates, atrocitates, saevitiae, quove alio nomine gentium excultarum exquisitam barbariem nuncupare velis (7)! Fuit enim, teste Labatio (8), speciosus hic religionis color, quo Ludovicus XIII, Gallorum Rex, quamvis Afros in servitutem redigendi morem averfatus, tamen sese impelli passus sit, ut Afros, qui in Colonia Gallorum jam aderant, servos pronuntiaret servorumque commercium legitimum redderet; idemque forte Christianismi propagandi fervor Elisabetham permovit, ut contra leges sanctas de Afris e

pa-

(3) Vid. Frofsard *l. l. T. I. pag. 128.*

(4) *S. II. c. 1. §. 1.*

(5) Vid. praeter alios Robertson, *History of America*, N. I. pag. 216 et 217.

(6) *Afia Portuguesa de Joaõ de Barros, Deca I. Lib. I. et II. Lisboa, 1628.*

(7) Vid. Simonde de Sismondi *l. l. p. 7 et 8.*

(8) Vid. Frofsard *l. l. T. I. pag. 133.*

patria non avehundis, aliquot annis post, mercatorum societati fervorum commercii agendi privilegium publice concesserit (9).

III. Qui primus barbaro huic mori, quo sub specioso fidei propagandæ colore immanis crudelitas saeviebat, fortiter restitit, Bartholemi las Casas fuit, Capiæ Episcopus. Hic enim venerandus sacerdos, multis virtutibus eminens et fervido humani generis amore flagrans, regnantibus Ferdinando et Isabelâ, Columbo secundum iter suscipiente, in insulas Hispanorum Americanas, ut Indos Christianæ religionis notitia imbueret, profectus fuit (10). Ubi quum aliquamdiu degisset, flebilis miserrimorum hominum conditio animum ejus generosumque pectus non movere non potuit; quapropter, multa ad eorum sortem emendandam frustra expertus, eorumque causam non deserens, in Hispaniam rediit, et ad privatum Regis concilium admisus, Indorum suorum sortem vividis admodum coloribus depinxit, Regisque auxilium in eorum gratiam invocavit (11). Neque etiam omni successu pia sacerdotis magnanimi tentamina caruere; nam, quamvis Ferdinandus Rex prius diem obiret supremum, quam

(9) Vid. Frosard *I. I. T. I. pag. 152.* Cf. etiam Clarkson, *History of the abolition of the Slave-trade.*

(10) Vid. Robertson, *History of America*, V. I. p. 218.

(11) Integram hanc orationem, multis eloquentiæ et animi excelsi dotibus conspicuam, vid. apud Frosard *I. I. T. I. p. 31—34.* Exstat etiam in ipsius Las-Casæ opere de *Indorum devastatione*, in quo Sepulvædæ cujusdam, qui argento corruptus, Hispanorum erga Indos crimina excusare fuerat conatus, argumenta egregie refutavit. vid. *Encyclopédie ou Dict. Universal*; cet. voce *Casas.* Cf. etiam Robertson, *History of America*, V, I. pag. 219.

quam hujus rei curam gerere posset, regni tamen fre-
na, interim dum Carolus V. e Belgio expectaretur,
viro fuere commissa, qui tanto munere omnino dig-
dum sese praestitit. Ximenes nempe Cardinalis, gene-
rosus Las-Casae votis annuens, tres legatos in His-
paniolam misit, qui omnem hanc rem in ipso loco cu-
rarent; iisque Las-Casan adjunxit, praeclaro Pro-
tectoris Indorum titulo insignitum (12). At vero multi
Hispaniae primates veriti, ne insatiabili suae avaritiae
frena injicerentur, quominus pii Episcopi conatus spe-
ratum effectum fortirentur, continuo impediverunt et
justitiae vocem cupiditatis clamoribus oppresferunt (13).
Sunt tamen, iique multi (14), qui eum propterea
insimulant, quod in gratiam Indorum suorum, quorum
tutelam ex animo susceperat, legis, qua servos ex Affri-
ca quaerere fuisset vetitum, revocationem petierit;
adeoque inter primos habendus sit, qui fervorum Afro-
rum commercio ita longe lateque extendendo animum de-
derint; quam tamen maculam, nominis laudi inustum,
eludere nuper conatus est Gregorius, celeberrimus Episco-
pus Gallus (15).

Post

(12) Vid. Robertson, *History of America* V. I. pag. 218. *seqq.* Quatenam autem sint munera cum hoc titulo con-
juncta, lege apud eundem V. II. pag. 374.

(13) Vid. Frossard *l. l. T. p.* 34 et 35. Cf. quoque
Raynal *l. l. T. IV. Lib. VII. c.* 15 et *Lib. VIII. c.* 23.

(14) Vid. praeter Frossard *l. l. p.* 55. imprimis En-
gel, *der Philosoph für die Welt*, T. II. Cap. 35. sub tit.
Entzückung des Las Casas. Robertson, *History of Ame-
rica* V. I. pag. 225. et 226. Herrera, *Historia General
de las Indias Occid. Dec. II. Lib. II. c.* 20. aliique.

(15) Nulla quoque hujus accusationis mentio fit in *Ency-
clopedia*, quamvis multa, cum spectantia, ibi memorentur. Im-
primis tamen hic conferri meretur M. C. Sprengel *von
Ursprung des Negerhandels*, pag. 39. *seqq.*

Post generosa Las-Casae conamina, nemo fuit, qui Indorum servorumque Afrorum causam fusciperet, donec saeculo XVII. circiter medio, Morgan Godwin, Anglus, idemque Ecclesiasticus, in Barbadam insulam misus; ut Afros, ibi degentes, Indosque indigenas Christianae religionis principiis imbueret, in eorum gratiam opusculum edidit, Afrorum et Indorum Patroni [*the Advocate of the Nègroes and Indians*] titulum gerens. Quo tamen libro, praeter quaedam monita de religiosa horum hominum institutione non negligenda, nihil ad nostrum propositum spectans continetur, nullaque fortis fervilis emendandae ratio habetur (16).

IV. Nulli tamen ante nostram aetatem homines fuisse, quorum majora fuerint erga servos Afros merita et efficaciores conatus, quam *Quakerorum* (17), qui, cum a sanctissimae Christianorum religionis praeceptis alienum eamque doctrinam sectantibus incongruum judicarent, homines, quos sibi invicem aequales Deus creasset, duro servitio subjectos habere, tum scriptis, tum factis eorum sorti emendandae ipsisque in pristinam et naturalem libertatem vindicandis, strenue operam navarunt. Hos inter praecipue eminuerunt duo viri, vitae sanctitate, morumque probitate, ferventi etiam Christianae religionis studio et flagranti humani generis amore conspicui, Janus Woolman et Antonius Benezet; quorum ille Americam septentrionalem pedestri itinere transmeavit, fratres suos docens, quanta in se crimina admitterent, quod homines, quorum

(16) Vid. Frosfard *l. l. T. I. pag. 35 et 36.*

(17) Cf. quae de hoc hominum genere diximus *Seç. III. c. 3. §. 3.* et Philaethes Eleutherus, *over den Sla-venstand*, pag. 90.

rum nulla erga eos culpa esset, in dura servitute retinerent (18); hic autem, natus quidem in Gallia, sed cum patre totaque familia A°. 1715 in Angliam, dehinc in Americam trajectus, postquam doctrinam et moralia principia *Quakerorum* esset amplexus, praeclaro servos Afros tuendi, docendi, educandi, in libertatemque vindicandi officio omnem vitam, viresque omnes consecravit. Neque tantum libris edendis nobili, quem sibi proposuerat, scopo praeclare infervit (19), verum etiam, neglecta rerum fortunarumque cura, emendandae miserimorum hominum conditioni animum unice intendit. Quapropter, domo rebusque suis relictis, hic libertatis personalis praeclarus vindex tres annos continuos Americam septentrionalem peragravit, ut omnes *Amicos*, quo singulari nomine *Quakeri* insigniuntur, ad servos suos emancipandos impelleret; quibus quidem summi viri egregiis conatibus, [in *Quakerorum* laudem dictum fit], successus suus non defuit; namque, Benezeti inprimis opera, res eo perducta est, ut dulcissimos laboris sui fructus ille perceperit, cum *Quakeri* unanimi consensu convenirent, ne quis ad fratrum coetum admitteretur, cujus e domo servitus non

pe-

(18) Vid. Frosard *l. L. T. I. pag. 57 et 38.* Scripsit idem opusculum, cujus hic est titulus, Gallice redditus: *Considérations sur la coutume de réduire les Nègres en servitude, recommandées aux disciples du Christianisme de toutes les dénominations.*

(19) Scripsit inter alia: *A short account of that part of Africa, inhabited by the Nègroes; with reflections upon the iniquity of the trade:* cujus quinta editio An. 1788, Londini apparuit. *A caution for England and it's Colonies, or short representation of the unhappy State of the Nègroes in the British possessions;* aliaque plura.

penitus exulasset. Insignis hic humanitatis amicus, anno 1784, septuagesimum primum aetatis annum gerens, Philadelp̄hae diem obiit supremum; tristesque funus multa cujuscumque religionis, generis, conditionis, aetatis, sexusve civium millia, agmine vere triumphali, fuere secuta, quos inter inprimis eminebant sexcenti circiter Afri, qui specialibus ejus curis et libertatem et liberalem institutionem acceptas referebant (20). Quamvis autem summi viri merita omni laude majora sint, abesse tamen non possum, quin ex oratione funebri, in ejus obitum habita (21), pauca haec referam: „ Diutissime nostra civitas hominis desiderio flagrat, qui, tum excellenti rationis usu, tum inter-

„ no boni rectique sensu ad illud virtutis et excellentiae morales fastigium ascenderat, in quo admodum raro mortales adspicere licet. Hujus omnium amore, omnium laude dignissimi, animo alte infidebat cogitatio, omnes homines ejusdem patris esse liberos; qua ex cogitatione, sive illa summi Creatoris imago alba, sive nigra esset, omnes eodem fraterno animo amplexus, benevolentia sua atque liberalitate aequè dignos judicabat. Poëtis atque historicis, qui post nos erunt, continget, iisque incumbet officium, ut vitam tam utiliter et tam pie actam, quam ipsius viri virtus et simplicitas fuerunt, justis laudibus celebrent et digne memoriae prodant. Quodsi umquam posterì nostri talia vivent tempora, quibus universa haec Respublica easdem, quas jam tulit Pensylvania

nia

(20) Vid. Fosford *L. L. T. I. pag. 58-44.*

(21) Habita est haec oratio a Doctore B. Rush, in publico et solenni coetu Societatis Philosophicae, quae Philadelp̄hae est.

„ nia, de servitute personali tollenda leges ferat; si
 „ umquam Reges Edicta promulgabunt, quibus hor-
 „ rendo fervorum commercio finis imponatur; si um-
 „ quam in Africa scholae aperientur, templaque, Deo
 „ sacra, aedificabuntur; denique, si umquam Guineae
 „ miserrimi incolae ad ingenii morumque culturam addu-
 „ centur, tum aevi futuri mortales meminerint, faustissi-
 „ mam hanc rerum mutationem Antonii Benezetti
 „ laboribus, scriptis, litteris et precibus praecipue de-
 „ beri. Hujus vitae historia luculentissimo exemplo
 „ docet, quantum boni in vasta societate unus aliquis
 „ civis, licet hic humilis conditionis sit, dummodo
 „ constanti virtutis amore et immutabili boni rectique
 „ studio flagret, efficere possit.”

V. Nobile *Quakerorum* exemplum (22) mox ce-
 terae Societates, vario Deum colendi modo inter se di-
 versae, magis minusve fuere secutae; quas inter tamen
 maxime emineat *Fratrum*, ita dictorum, *Moravium*
 confociatio (23). Ad illa, quae hucusque tantum ex
 prin-

(22) Operae pretium est videre, quomodo servitutis Afro-
 rum abolendae consilio adversarii, hisce *Quakerorum* conati-
 bus laudem suam detrectare conantes, ipsi argumenta nostrae
 confirmant; quod docemur a Frosfardo l. l. T. I. p. 46.
 in nota dicenti: « Un détracteur de ces Amis de l'humani-
 »té nous apprend qu'ils ne se sont déterminés à affranchir
 » leurs Nègres, qu'après avoir calculé en bons négocians
 » qu'il y avoit tout à gagner et du côté de l'intérêt et du
 » côté de la réputation.» cet.

(23) Vid. Frosfard l. l. T. I. p. 47. in nota. « Les
 » frères Moraves ne montrent pas moins de zèle en faveur
 » des Nègres. Ils se font un devoir d'affranchir ceux qui
 » tiennent en leur possession et d'instruire ceux dont ils ne
 » peuvent disposer. Cette conduite est très conforme à leurs
 » principes moraux. En effet, peu inférieurs aux Quakers
 » du

principiis religionis, jubentibusque cultus Divini Sacerdotibus primariis, facta fuerant, dein etiam accesit publica Legislatorum auctoritas; A°. enim 1780 in Pennsylvania lex lata fuit, qua omnibus servis, post publice promulgatam Reipublicae Americanae independentiam natis, simulac vicesimum octavum aetatis annum attigissent, libertas concessa fuit; neque tamen hic confiterentur humani generis amici, nam, opera inprimis societatis, ad promovendam servitutis abolitionem Philadelphiae, praefide celeberrimo Franklino, erectae, a Legislatoribus impetratum fuit, ut legem, A°. 1780 latam, magis etiam extenderent. Quapropter die 29 Martii A°. 1788, poenis severissimis constitutis, vetitum fuit, ne quis posthac servos in Pennsylvaniae regionem introduceret vel simile aliquod negotium exerceret (24). Huic similis lex in Virginia lata fuit (25); in ceteris autem Americae liberae regionibus fervorum Afrorum commercium viguit novasque adeo vires adeptum fuit, donec eodem circiter tempore, quo in Anglia, hic etiam lege penitus sublatum fuerit (26).

Quae

» du côté de la douceur, de la modestie, de la charité, de
 » l'amour du travail, ils doivent, comme eux, combattre
 » l'esclavage et réclamer l'observation des devoirs généraux
 » qui unissent tous les hommes entr'eux. Mais les Moraves
 » sont plus encore; ils instruisent les nègres dans la religion
 » Chrétienne et leurs Ecclésiastiques sont pour ainsi dire les
 » seuls qui prennent ce soin dans les Colonies Angloises."

(24) Vid. Frosfard l. l. T. I. p. 48 et 49.

(25) Vid. Frosfard l. l. p. 49.

(26) Vid. G. G. Bredow, *Chronik des neunzehnten
 Jahrhunderts An. 1804. pag. 430. in notis.* » In Delaware,
 » Pennsylvania, Newjork, Vermont, Connecticut, New
 » Hampshire und Massachusetts sind die Neger ohne Ein-
 » schränkung für frei erklärt; Neu Jersey duldet bloß
 „ Dienst

Quae religiosa ac moralia principia, ab altera Oceani Atlantici parte, *Quakeros Americanos* impulerant, ut oppressi hominum generis curam ac tutelam in se susciperent; eadem *Quakeros Anglicos*, quamvis praesenti miserrimae Afrorum fortis spectaculo non moverentur, nullam tamen hujus rei rationem habere non siverunt. Itaque ad tollendam vel certe sublevandam fervorum Colonicorum servitutem nihil non tentarunt, et ex fratrum numero nonnullos delegarunt, qui in fervorum conditionem, quibuscunque modis, et quantum posset accuratissime, inquirerent; horum igitur opera jam A. 1783 supremae Britanniae Curiae libellus supplex fuit oblatus, ut Legislatorum interventum et auxilium in fervorum Afrorum gratiam invocarent (27); neque tamen tum temporis eorum conamina optimo successu fuere coronata, sed sequenti demum saeculo reservatum erat, tanto tamque praeciaro triumpho gestire.

VI. Inter illos, qui ante agitatam publice de fervorum commercio tollendo quaestionem, Afrorum causam
in

• *Dienst-Verpflichtungen auf bestimmte zeit; in den südlichen und westlichen Staaten besteht zwar noch die sklaverei, aber der Sklavenverkauf ist verboten und für künftige Freylassung gesetzlich im Voraus gesorgt.*" cct. Cf. autem Bredow l. l. An. 1806. pag. 438.

(27) Vid. Frosfard l. l. T. I. pag. 49 et 50. Fratrum autem delegatorum nomen, Gallice redditum, erat *l'Assemblée des souffrances*, libelloque supplici fuit inscriptum *situation de nos semblables, les Africains opprimés, présentée respectueusement à la sérieuse considération du Corps Législatif de la Grande-Bretagne, par le peuple nommé Quakers.* Vid. Frosfard l. l. pag. 50. in nota. Cf. etiam *Annales des Voyages, de la Géographie et de l'Histoire* par M. Malte-Brun T. XXIV. Cah. 70. pag. 78 et 79.

in Angliam tum scriptis, tum factis strenue susceperunt, adeoque ad publicam populi hac de re opinionem committendam et ad humanitatis partes trahendam plurimum contulerunt, principem locum occupat vir omni laude dignissimus, Granville Sharp, Jctus. Hic enim, cum Britanniae legibus, singulorum libertatem egregie tuentibus (28), repugnare censeret morem illum, quod ferri, ex Colonia cum heris suis in Angliam trajecti, ut, durante navigatione, famulorum munere fungerentur, deinceps in Colonias mittebantur et vendebantur, A. 1772 ejusmodi causam coram summo Tribunali, *the King's Bench* dicto, praeclare defendit, et, licet ab altera parte starent viri doctrina legumque peritia conspicui, tandem victor exiit; lata enim sententia fuit, qua quicumque Britanniae solum attingeret, continuo patriae addiceretur *enclaver* ac sui juris esse judicaretur (29). Multa exstant Viri celeberrimi opera, in quibus hanc similem

(28) Eandem sententiam eleganter olim expresserat celeberrimus Anglorum Poeta Shakespeare, hisce versibus:

» *Slaves cannot breathe in England; if their lungs*
Receive our air, that moment they are free,
They touch our Country, and their shackles fall.
O! this is noble!

(29) Vid. Frossard *L. L. T. I. pag. 53—56.* et *Annales des Voyages, de la Geographie et de l'Histoire par M. Mahe-Bran T. XXIV. Cah. 70. pag. 79.* Similis quaedam res in Patria nostra An. 1736 et 1737 apud Magistratum Amstelodamensem agitata, et eodem modo decisa fuit; sed, re per appellacionem ab altera parte ad Curiam Hollandiae provocata, servus succubuit; unde iterum ad Supremum Senatum appellatum et sententia Curiae confirmata fuit. — Vid. A. H. Boyer. *Diss. de natura et indole servitutis tum ex J. N. filii lex legibus Civ. Hebraeorum, Romanorum, et etiam Belgarum;* cujus in appendice ipsam Curiae sententiam invenies

ve materiem tractat, atque animus cernitur humani generis amantissimus (30).

Neque etiam omitti hic debet James Ramsay, qui cultus Divini Sacerdotis munere functus, viginti circiter annos in Sancti Christophi insula commoratus fuit, et in patriam redux librum edidit (31), accuratissimam miserrimae Servorum Coloniarum conditionis descriptionem continentem, nec non quaedam monita de institutione religiosa et literaria eorum non negligenda. Quo quidem opere tum ingentem nominis laudem, tum etiam multos inimicos ex Coloniarum in-primis numero, quorum crudelitatem et fordidam avaritiam vividis coloribus depinxerat, sibi conciliavit. Fuisse etiam tum temporis in Anglia nonnulli servitutis patroni, qui illum librum refellere conati sunt; sed, quoniam non tam ipsam rem, quam scriptoris personam injuriose aggrediebantur, validum pro egregii Viri operis veritate argumentum ipsi suppeditaverunt (32).

Nihil tamen super hac re editum fuit, quod cum celeberrimo Clarksoni opere, tam sermonis elegantia, et perspicuitate, quam relatorum probata fide, et emendationum commendatarum conspicua utilitate possit comparari

(30) Vid. Fosford *l. l.* pag. 56. Decem ejus numerantur opuscula, quorum tamen praecipuum est illud, quod *Limits Servitutis* dicitur; praeterea notissima sunt: *A Representation of the injustice and dangerous tendency of tolerating slavery in England.* 1769 et *Inquiry into the principles of villenage.* 1771.

(31) Operis titulus, Gallice redditus; hic est: *Essai sur le traitement et la conversion des esclaves dans les Colonies Anglaises.*

(32) Vid. Fosford *l. l.* T. I. p. 56—58.

ri (33). Academia Cantabrigiensis (34) A°. 1787, praemio proposito omnes invitaverat, qui virium periculum in tanta materie facere vellent, ut, adductis ponderatisque ab utraque parte argumentis, quidnam de commercio fervorum ejusque justitia atque utilitate sentiendum esset, dilucide exponerent (35); Clarkfornus, materiae gravitate excitatus et laudis literariae amore, uti ipse ingenue fassus est, inprimis captus (36), omnem hanc rem propius indagavit, et, statuto ab Academia tempore, unanimi judicium sententia praemium retulit (37). Ab eo inde tempore vir doctissimus, non tam laudis captandae, quam generis humani salutis promovendae gratia, cum et ipse optime perspiceret, quam parum damni metus ad excusanda horrenda Europaeorum crimina valeret, indefessus Afrorum defensor factus est (38). Operis autem laudati summa huc redit: primum fervorum commercium nulla civitati commoda afferre et privatis univérse perniciosum esse, nautarumque sepulchrum recte vocari posse, probatur; contra, fructuum, quos Guinea profert, commercium civitati privatisque utilissimum, et nautarum peritorum feminarium fore, perspicuis docetur argumentis. Deinde fervorum commercii sublationem nullo damno Colonias Occidentales affecturam, sed majoris etiam lucri spem allaturam, patet; quia, primo major foret Colonorum

fe-

(33) Operis titulus hic est: *Essay on the impolicy of the Slave-trade*. Londini 1788.

(34) Cambridge.

(35) Vid. Frosfard *l. l.* pag. 58.

(36) Vid. *Annales des Voyages, de la Geographie et de l'Histoire* par M. Malte-Brun, T. XXIV. Cah. 70. p. 78.

(37) Vid. Frosfard *l. l.* pag. 58.

(38) Vid. M. Malte-brun *l. l.* pag. 78.

securitas et jacturae, propter fervorum tumultum, fugam, mortem, aliamve causam minor metus; secundo servi, propter copiae quotannis ex Guinea afferri solitae defectum, necessario mitius habiti, suaviore vitae genere fruerentur et heris magis forent addicti; tertio, tempore belli Coloniae minori periculo forent expositae; quarto, uberior foret vectigalium proventus; postremo, fructuum industriae Europaeae largior foret consumtio. Quibus expositis et probatis, summo jure celeberrimus auctor concludit, fervorum commercium tam politicum, quam morale vitium esse (39).

VII. Praeter laudatos auctores, alia etiam minora opera hoc tempore in Anglia prodierunt, quae cum ad com-movendam publicam populi opinionem pro virili contulerint, brevissima eorum mentio omittenda non est. Haec inter eminent *Litterae Africani*, auctore incerto; nec non Falconbridgii, quondam chirurgi in navi, Afris transportandis inservienti, ratio; summa quoque laude digni sunt Janus Newton et Stanfield, qui, quum multos annos horrendam fervorum commercium ipsi exercuisent, culpam suam melius se expiare non posse rati fuerunt, quam atrocem saevitiam nefandaque crimina, quibus hoc commercium ansam dare solet, promulgando; denique M. Wesley, Sectae Methodistarum princeps, praecipua, quibus servitus damnanda est, argumenta brevi admodum compendio egregie collegit (40).

Neque tantum scriptis editis, sed etiam orationibus, a celeberrimis Verbi Divini praeconibus, coram omnis
ge-

(39) Cf. cum ipso Clarksoni opere Malte-brun *l. l.* pag. 136—138.

(40) Vid. Frossard *l. l. T. I.* pag. 58 et 59.

-generis, aetatis, loci Auditorum frequentissima corona, habitis, fervorum causa insigniter fuit promoti. Hos inter inprimis nominantur Hayter, Nordovici; Warburton, Glocestriae; John Warren, Bonii (41); Cornwallis, Lichfeldae et Conventriae Episcopi, et ante omnes Bielby Porteus, celeberrimus Londini Episcopus, qui edita orationum, doctrinae et elegantiae laude conspicuum, collectione praecipue inclaruit (42). Praeterea Afrorum causam, habitis e suggestu, Christianae religioni dicato, orationibus, strenue defenderunt Priestley (43), Peckard, Collegii, Magdalенаe sacri, quod Cantabrigiae est, Praefes, M. Mason, Hughes, William Agutter, alique (44).

Quo tamen virorum, morum probitate et cultura, omnique doctrinae et eruditionis genere clarissimorum, separata conamina redderentur efficaciora, et in unum, ac ita dicam, centrum collineantia, propositum sibi scopum citius ac commodius attingerent, A°. 1787 Londini erecta societas fuit, cui, ut fervorum commercium tolleretur, omne studium impendendi omnemque operam navandi consilia fuit. Haec societas, quae Praesidem tracta est virum inter strenuos Afrorum causae defensores celeberrimum, Granville Sharp, cujusque sociis multa supremae Angliae Curiae membra, interque alios Pittius et Foxius, nominis laude clarissimi, antumerantur, multas in ceteris Regni partibus Societa-

ta-

(41) *Bangor*. Vid. Bruzen la Martiniere *l. l. voce Bangor*.

(42) Vid. *Frosfard l. l. pag. 60*.

(43) Idem novis in arte *Chemicae* inventionibus magnam nominis laudem acquisivit.

(44) Vid. *Frosfard l. l. pag. 61*.

tates, veluti alma mater, peperit, quas inter, duobus libris de servorum commercio editis (45), imprimis eminuit societas Mancunienfis (46). — Quomodo autem contra conjunctos summorum virorum conatus, viginti annos summa animi contentione in suprema Britanniae Curia hac de re certatum sit, ad sequens caput proprie pertinet, adeoque eo rejiciemus.

VIII. Superest, ut, quos aemula Gallia tulit servorum Afrorum fautores, paucis recenseamus; nam, quod ad ceteras Europae regiones, imprimis ad Patriam nostram atinet, nullum ibi, quantum quidem ego scio, hoc tempore alicujus nominis opus prodit, quo Servorum Afrorum causa coram justitiae humanitatisve Tribunali acta fuerit (47).

E Gallis autem ante omnes nominandus est Celeberrimus Montesquieu, qui, quum hominis civis officia optime cognita haberet, in immortalis suo opere Europaeos, omnem humanitatem erga Guineae incolas turpiter proterentes, non vituperare non potuit, Quod ut faceret, stulticia illa argumenta, quibus tantae atrocitates vulgo defendi solebant, lepide exposuit, et, cum eos, qui aliquam iis vim tribuerent, omnium seferis exponere judicaret, ad probandam tamen contra

(45) Utriusque libri titulus Gallicus hic est: *Coup-d'oeil général sur le commerce des esclaves et Lettres sur le commerce des esclaves par M. Cooper.*

(46) *Manchester.* Vid. Bræza la Martinieue l. l. voce *Manchester.* Ceterum vid. Freslard l. l. T. I. p. 61—64.

(47) In Hispania quidem opus quoddam hac de re jam An. 1682 prodit, quod tamen tantum nomine genus nobis notum est. Titulus hic est. D. Juan de Villalobos, *Memoriseño sobre la introduccion de esclavos negros en las Indias Occidentales, Madrid 1682.*

trariam sententiam nihil prorsus addidit (48). Ceterum servitutis injustitiam et perniciosos effectus alibi (49) luculenter ostendit.

Huc quoque pertinet clarum Raynaliani opus: *Histoire Philosophique et Politique des établissemens des Européens aux deux Indes*; quo in opere multa egregie dicta, ad nostram materiem pertinentia, licet admodum dispersa, inveniuntur (50). Ceterum, quidquid varia super eo lata iudicia differant, splendidam tamen sermonis elegantiam et animum humani generis amantissimum, ac libertatis personalis amore flagrantissimum, ei denegari non posse, omnes conveniunt (51).

Eandem materiem, quamvis propter operis sui rationem utilitatis fere unice rationem habuerit, more suo egregie tractavit Neckerus, celeberrimus quondam infaustissimi Ludovici XVI. minister, in opere, cui titulus: *sur l'administration des finances de la France* (52).

Neque etiam omitti hic debet Abbas Genty, qui ope-

(48) *Esprit des Loix* L. XV. c. 5. Brevia quaedam ex hoc capite excerpta Sect. III. c. 1. §. 2. adjecimus.

(49) *Esprit des Loix* L. XV. c. 1. seqq.

(50) Vid. Frossard *l. l. T. I. pag. 65 et 66.*

(51) Vid. Frossard *l. l. p. 66.* et Cf. William Robertson, *the History of America* T. II. Lib. VII. p. 300, et in notis pag. 486. *Remarques sur les erreurs de l'Histoire philosophique et politique de Mr. Raynal, par rapport aux affaires de l'Amérique septentrionale, cet. par M. Thomas Paine, Maître et Arts de l'Université de Pensilvanie, Ministre des affaires étrangères du Congrès, Ann. 1783.* nec non versio Germanica Operis Raynaliani in Appendice ad T. IX. Brougham *l. l. T. I. pag. 95.* et alibi passim, ac imprimis Vir. Doct. N. G. van Kampen, *Geschiedenis der Fransche Heerschappij in Europa* T. I. p. 99.

(52) Vid. Frossard *l. l. pag. 66 et 67.*

operi suo: *Influence de la découverte de l'Amérique sur le bonheur du genre humain*, caput inferuit, in quo egregias habet atque utilissimas de servitute Afrorum animadversiones (53).

Eodem referri debet opus quoddam viri, inter auctores Gallicos haud infimi, de St. Lambert, in quo, sub fictis Afrorum nominibus, egregia quaedam de Europaeorum erga Afros injustitia inveniuntur (54).

Neque etiam ultimum inter laudatos scriptores locum occupat opusculi, cui titulus: *Lettres d'un cultivateur Américain*, celeberrimus auctor de Crèvecoeur. In quo libello fausta Afrorum in foederatis Americae septentrionalis provinciis, prae ceteris Europaeorum Colonis, conditiq; et generosa *Quakerorum* conamina vividis admodum coloribus depinguntur et justis laudibus extolluntur (55).

Haud minoris pretii Schwartzii opus est: *Reflexions sur l'esclavage des Nègres*; in quo praeter alia multa egregia, falsam imprimis eorum esse opinionem, qui fervorum labores liberorum hominum feraciores existiment, solidis argumentis demonstratur (56).

In vastissimo quoque opere, Felicii, viri celeberrimi, curis debito, cui titulus, *Encyclopédie ou Dictionnaire universel raisonné des Connaissances humaines*, voce *Nègre*, aliquot non contemnendas de commercio fervorum Afrorum, et de tollenda eorum servitute animadversiones invenies; plerasque tamen ex laudato Raynaliani opere desumas.

De-

(53) Vid. Frossard *L. L. T. I. pag. 67 et 68.*

(54) Vid. Frossard *L. L. p. 68 et 69.*

(55) Vid. Frossard *L. L. p. 69.*

(56) Vid. Frossard *L. L. p. 69 et 70.*

Denique viri, inter Afrorum causae in Gallia defensores primarii, Frosardi scilicet, mentio hic omit-
tenda non est. Quidquid enim argumentorum pro tol-
lenda Afrorum servitute, tum ex justitiae atque reli-
gionis, tum ex prudentiae civilis praeceptis possit affer-
ri, in egregio summaque laude celebrando opere: *La*
cause des Esclaves Nègres et des Habillons de la Gui-
née, portée au tribunal de la Justice, de la Reli-
gion, de la Politique; ou Histoire de la Traite et de
l'Esclavage des Nègres; Pruves de leur illégitimité;
moyns de les abolir sans nuire ni aux Colonies; ni
aux Colons. (57): ita elegantet, perspicue atque ad
persuadendum efficacissime expositum invenies, ut, qui-
cumque veritatem autem ac quasi manibus comprehen-
dere cupiant, illi eximius hic liber semper in promptu
esse debeat (58). Dignis virum celeberrimum laudi-
bus celebrare, cum nostram tenuitatem superet, aptio-
ribus illud relinquimus; quidquid interim boni nostra
haec dissertatio habeat, imprimis praestantissimo huic
operi, grato animo acceptum referimus.

Eodem circiter tempore, quo Londini (59), Pa-
risi quoque erecta Societas fuit ad promovendam com-
mercii fervorem abolitionem, imprimis cura Viri Doct.
Brisfort de Warville (60). Utrum tamen illa,
ad attingendum praeclearum scopum, revera quidquam
effecerit, nos nescire fatemur.

Ex-

(57) Belgica hujus libri versio An. 1790. Hagae Comi-
tum prodiit.

(58) *Nal. Phil. akthea Eleutherass, Tox den Sla-*
penstand, Ed. Vis. Doct. J. van Gaus, pag. 84 in nota.

(59) Vid. Supra §. 7. et 8. et 9. et 10. et 11. et 12.

(60) Vid. *Fraeses q. d. 4. T. I. pag. 70. et 71. et 72.*

Exhibito eorum, qui scriptis suis fervorum Afrorum causam susceperunt, catalogo, instituti ratio flagitaret, ut adversariorum opera hic aequè recenserem; verum, quoniam hoc tempore nemo ullius nominis servitutis Afrorum defensionem suscipere ausus est, nisi unum forte excipias, auctorem *des Reflexions d'un cultivateur Americain* (61.), hic jam subsistere et ad sequens caput transire possumus.

C A P U T II.

De commercio servorum in Angliâ, America, Dania legibus sublato.

I. Quamvis autem separata conjunctaque multorum, de humanitatis causa optime meritorum, conamina, quae Cap. praeced. exposuimus, illum effectum habere non potuissent, ut ad tollendum atque vetandum fervorum commercium supremum Angliae Senatum statim impulerint, illud tamen iis impetratum fuit, ut seriam atque accuratam hujus rei inquisitionem in proximum sequentis anni (1789) Legislatores conventum, promitterent Regni Britannici administri; interim vero ad mitigandam fervorum, ex Guinea avectorum, fortem temporarias quasdam leges Parliamentum ferret (1). Quod quum ad publicam notitiam pervenisset, tantus fuit omnium, qui, sublato hoc commercio, ingentem rerum fortunarumque jacturam sese facturos esse et planam sibi huc faciendi viam fore interclusam, existimarent,

me-

(61) Vid. Fropfard *Y. L. T. I. pag. 70.*

metus; tanta fervitutis patronorum, atque omnium eorum, qui ex subjecta aliorum hominum conditione opes colligere asueverunt, mentis agitatio atque animi commotio; tantum Colonorum et mercatorum, libellis supplicibus pericula, quae sibi imminere putabant, deprecantium agmen; tanti demique Politicorum, rerum novarum studiosos ac Patriae commodis inimicos homines, nova haec atque inaudita moliri, putantium, timores; ut, proximo certe Legislatorum conventu, ne spe sua exciderent Afrorum causae patroni, omnes, qui de rebus publicis et de temporum ratione, ejusmodi consilio haud admodum faventi, rite judicarent, jure timerent (2). Neque etiam opinio eos fefellit; nam tanta fuit omnis generis difficultatum, quae contra fervorem commercium tollendi consilium movebantur, coëcervatio; tantus adversariorum numerus, ut causa sua, hac quidem vice, caderent justitiae humanitatisque patroni; solennis tamen atque ab ipso Senatu instituenda in naturam et effectus hujus commercii inquisitio juberetur (3).

III. Interim surrexit vir, qui Afrorum causae justitiae motus, tanto animi studio eam amplexus fuit, tantaque constantia ejus defendendae provinciam suscepit, ut, invitis adversariorum repetitis clamoribus, pertinacibus obloquiis et acerbis jocis, rem aliquando susceptam non deseruerit, donec remotis expeditisque omnibus difficultatibus, exoptatissimum et generi humano
gra

(1) Vid. Frossard *l. l. T. I. pag. 64. in nota.*

(2) Vid. Wilberforce, *Lettre à Talleyrand,* pag. 3. *seqq.*

(3) Vid. Wilberforce *l. l. p. 2.*

gratisimum triumphum agere ipsi liceret (4). Fuit hic William Wilberforce, nominis laude omnibus, quibus res humanitatis aliquantum curae est, probatissimus; qui, quum neque corporis valetudini, neque tempori, neque rebus fortunisque suis parceret, ut adversariorum cumulata argumenta dilueret, et commercii fervorem injustitiam ac cum vera prudentia civili repugnantiam demonstraret (5), ad faciliorem reddendam et rite dirigendam solennem supremæ Curiae inquisitionem, haud parum contulit. Tanti autem momenti multa, quæ ab adversariis proferebantur argumenta, ex falso damni, civitati et privatis ex tali consilio imminenti, metu inprimis petita, videbantur, ut ipse, uti ingenue fatetur (6), aliquando vehementer dubitaverit, an non hominis officium, omni animi studio peractum, a civis officio forte declinaret? Dubitantem vero præclara excitavit cogitatio, Deum, supremum et optimum rerum humanarum moderatorem, a generalibus regiminis sui principiis in hac re ita deviasse censeret non posse, ut prospera Regni potentissimi fortuna ab ea perverfitatum et criminum congerie dependeret, cujus exemplum generis humani historia hucusque non præbuisset. Quibus secum agitatis, inani metu vacuus, alacri animi studio novisque viribus in rem præclare susceptam incubuit (7); et tum orationibus, coram

fit-

(4) Vid. *the speech of Sir Samuel Romilly in the House of Commons on the Twenty-eighth June 1814, on that Article in the Treaty of Peace which relates to the Slave Trade*, pag. 11.

(5) Vid. Sir Samuel Romilly *l. l.* pag. 33.

(6) *Lettre à Talleyrand* pag. 32.

(7) Ex ipsa præclari viri verba: » *Le suprême Auteur de tout, celui qui dispose de toutes les choses de ce monde* »
 „ de

supremo Britanniae Senatu habitis (8), tum nonnullis opuseulis, in quibus aliqua ejusdem materiae pars spectatim tractatur, editis (9), imprimis autem vitae, huiusmodi generis causae prorsus devotae, et omnium virtutum cultu maxime decorae, probitate ac sanctitate permultos Afrorum causae amicos conciliavit (10).

III. Hujus et egregii Clarksoni opera, multae, quae ab eo inde tempore, quo de fervorum commercio tollendo ad supremam Britanniae Curiam primum relatum fuit, ab adversariis movebantur difficultates, expeditae sunt. Imprimis autem in eo conspicuam fuit Clarksoni auxilium, quod jam anno 1789 se auctore suisque impensis, accuratissimam navis, servis ex Guinea avehundis intervenientis, effigiem pingi ac publice

» de, avoit-il donc si étrangement dévot dans ces cas des
 » principes généraux de son administration morale pour avoir
 » identifié la prospérité d'un puissant empire avec la con-
 » tinuation d'un système de perversité et de cruauté jus-
 » qu' alors sans exemple dans les annales du monde? Le
 » seule pensée ne m'en parut pas moins qu'un blasphème
 » contre le caractère moral du Tout-Puisant. Cette confi-
 » dération ranima mes espérances, et je continuai de mar-
 » cher vers mon but avec une nouvelle alacrité." *Lettre à Talleyrand pag. 32 et 33.*

(8) Harum Orationum, singulatim quoque editarunt, unam, eloquentiae laude maxime celebrem, integram invenies apud Clarkson, *History of the abolition of the Slave-trade*, T. II. pag. 212—266.

(9) Inter alia eminent M. Wilberforce's *letter to his constituents*, et M. Wilberforce's *letter to the freeholders and other inhabitants of Yorkshire, on the abolition of the Slave-trade* 1807. Vid. *Simonde de Sismondi* L. I. pag. 68 et 79 in notis.

(10) Vid. *Annales des Voyages* etc. par Malte-Brun, T. XXIV. Cah. 70. pag. 80.

prodi curaverit (11); quæ, quin publice innotesceret et inprimis Legislatorum oculis esset subjecta, tanta omnium animos occupavit criminum, quibus se servorum mercatores polluebant, indignatio; tantaque miseriarum, quibus infaustum hominum genus vexabatur, commiseratio, ut continuo lex lata sit, qua servorum numerus, unaquaque navi transportandus, et modus, quo in ipso trajectu servi haberentur et alerentur, quamdiu quidem ipsum commercium duraret, accurate præscriberentur (12). Ceteræ quoque atrocitates, sævitiae atque omnis generis barbaries, quibus servorum commercium in ipsa Guinea ansam dare solere supra (13) vidimus, tam validis argumentis, summæque auctoritatis virorum testimoniis fuere probatæ, et futilia eorum, qui tanta crimina excusare conarentur, argumenta plane adeo refutata ac quasi fracta fuere, ut a viro, inter celeberrimos Anglos referendo, applaudentibus Senatorum plurimis, aliquando in Senatu dicta sententiæ sit: Nullam unquam servorum commercio perniciosiorem humani generis pestem existisse (14).

IV. Quominus autem res, publica populi opinione et celebriorum in Anglia virorum sententiis damnata, supremi Britannicæ Senatus auctoritate tum quoque penitus proscriberetur, multæ causæ impediabant. Nam, licet de servorum commercii injustitia publice constaret, multæ tamen supererant utilitatis rationes, multique damnorum, quæ ex tali consilio civitati privatisque im-

(11) Vid. *Simonde de Sismondi l. 2. p. 105* in nota. Hæc tabula Ann. 1814. iterum typis excusa fuit.

(12) Vid. *Wilberforce, Lettre à Talleyrand, p. 20.*

(13) Vid. *Sect. II. cap. 3.*

(14) Vid. *Wilberforce, Lettre à Talleyrand, p. 14.*

minere videbantur, haud profus vani timores, qui, si non perpetuam, temporariam certe illius commercii continuationem exigere videbantur (15): Quae tamen omnia magnanimum Wilberforcium nequaquam deterruerunt, quominus de nobilissima causa, cuius patrocinium strenue susceperat, quotannis ad Senatum referret; quod, licet ipsam rem parum adjuvare videretur, referentem vero acerbissimis adversariorum jocis saepe exponeret, illud tamen effecit, ut, adjuvantibus viris eloquentia ac doctrinae laude conspicuis, ac summa in civitate auctoritate valentibus, novae quotannis difficultates, quae fervorem commercii tollendi consilio obflare viderentur, fuerint expeditae, et publicam populi opinionem magis magisque in suas partes traxerint fervorum causae patroni. Quippe inter argumenta, quibus

(15) Vid. Wilberforce l. l. pag. 23 et 24. Quantis difficultatibus obviam eundem esset, paucis verbis docet Clarksonus in egregia sublata hujus commercii historia: » *Veel* » *publiek kwaad, hetwelk, in vroegere tijden, plaats hadt,* » *is de vrucht van onswetendheid en bijgeloof, en werd ge-* » *volgelyk door de toeneming van licht en kennis te onder-* » *gebracht; maar het bedoelde kwaad ontsproot uit geldzucht;* » *het werd door eigenbaat gevoed. Uit dien hoofde, week* » *het, zoo gemakkelijk niet voor de gewone verbeteringsmid-* » *delen tegen zedelyk bederf. Ook was het belang, waardoor* » *het ondersteund werd, niet dat van eenige weinige parti-* » *culieren, noch van één kollegie; maar van verscheiden* » *kollegien. Het was in het sijstema van den koophandel en* » *de inkomsten der natie ingeweven. Van daar, dat de* » *koopman, de planter, de hypothekaris, de fabrykeur,* » *de staatsman, de wetgever, de kabinetsminister zich te-* » *gen de afschaffing van den Slavenhandel verzetteden."* Vid. *Nederl. Staats-Courant* 13. August. 1814. no. 188. ubi hujus libri compendium invenies.

bus adversarii rem suam defendere conabantur, illud imprimis valere videbatur, quo, nisi novi quotannis ex Guinea servi afferrentur, servos mox in Colonia defuturos, specioso veritatis colore sustinerent; cui falsae opinioni tanto eloquii flumine, tantaque argumentorum perspicuitate ac fide, A^o. 1792, Legislatorum concilio ad noctem usque producto, obviam iit celeberrimus Pittius, ut, iudice Foxio, in rebus quidem Politicis constanti adversario, Afrorum causae vero aequae, nisi magis etiam faventi (16), adversariorum argumenta plene refutaverit, ac contrariam sententiam perspicue; ut non possit magis, probaverit (17).

Eodem successu alia gravis adversariorum obiectio, egregii imprimis Clarksoni opera, fuit soluta. Dixerant enim adversarii, fervorum commercii abolitionem, si non alio, hoc certe respectu Regno Britannico fore perniciosissimam; quod, cum navium armatarum numero imprimis valeret Anglia et exteris metuenda esset, fervorum commercium propter multas ejus difficultates nautarum peritorum, quibus dein naves bellicae

pos-

(16) Vid. hac de re *the Edinburg Review, or Critical Journal*, November 1814. no. 47, in *Epistolae Wilberforcianae ad Talleyrandum Criticæ pag. 106. seqq.* Quin imo apud Máltebrunium, *Annales des Voyages* cet. T. XXIV. Cah. 70. pag. 80, Pittius aperte quidem servise, clam vero fervorum commercii tollendi consilio adversatus fuisse legitur; quamvis contrarium affirmet Wilberforceius; quod tamen forte ex arcta utriusque amicitia explicandum est. Cf. etiam Bredow, *Chronik des neunzehnten Jahrhunderts*, An. 1805, pag. 803.

(17) Vid. Wilberforce, *Lettre à Talleyrand*, pag. 39 et 40. Integram Pittii orationem invenies apud Clarksonum, *History of the abolition* cet. p. 304—317.

M

possent armari, schola ac quasi seminariam jure posset vocari, cum, sublato hoc commercio, Britannia firmissimo Regni fulcro, propter nautarum peritorum defectum, foret destituta. Verum, suppeditantibus ipsis adversariis, nihil ejusmodi metuentibus, nautarum, ad hoc commercium adhibitorum et in ipsa expeditione mortuorum vel amissorum, catalogos, contrarium evidenter fuit evictum; ita ut, quod antea humanitatis causae victoriam retardasse visum fuisset, operantibus ac quasi adjuvantibus adversariis, ipsius reportandae adjumentum efficacissimum existeret (18).

V. Nullae tamen rationes, sive ex ingenti pecunia summa, ad servile commercium adhibita, cujusque ne, sublato hoc commercio, jacturam facerent, extimescebant possesores (19), sive aliis ex causis repetitae, teste Wilberforcio (20), ad retardandam humanitatis ac justitiae victoriam, tantum valuerunt, quantum duo haec argumenta: P. Quod ex fervorum commercio, ab Anglis solis sublato, ceteris nationibus illud non tantum exercere pergentibus, verum etiam probabiliter amplificaturis, postquam ab ejus exercitio Angli abstinerent, nulla vera utilitas in Guineam redundaret (21); et H. Quod, licet Britanniae Legislatores fervorum commercii exercitium, eorumque in Anglicas Indiarum Occidentalium Colonias importationem prohibuissent,

(18) Vid. Wilberforcus, *Lettre à Talleyrand*, pag. 33 et 34; et Cf. quae diximus supra *Sec. III. c. 2. §. 6. de Aed.* ibi cit.

(19) Vid. Wilberforcus *l. l.* pag. 3 et 24.

(20) *Lettre à Talleyrand* pag. 28.

(21) Vid. quoque Brougham, *Beknopt verslag van den Staat des geschichts in Engeland noene de affhuaffing van den Slavenhandel*, pag. 29.

nella tamen ratione, quamdiu in ceterorum Europaeorum Colonias, Anglorum Coloniae admodum propinquas ac quasi circumjacentes, servi inveherentur, posset impediri, quominus in Britannicas quoque possessiones furtim importarentur; igitur Supremum Angliae Senatum suos quidem cives lata lege fervorum commercio posse interdiceret, nunquam vero hoc commercium penitus extinguere, ne victimarum quidem numerum diminuere posse. Quibus quidem argumentis licet objici posset, nequaquam illa valere contra absolutam atque universam fervorum commercii abolitionem, quam omnes omnino generis humani vere studiosi aliquando debebant sperare, quin imo ipsa haec argumenta Angliae Legislatores magis etiam debuisse impellere, ut, cum Angli prae ceteris omnibus nationibus horrendo huic commercio essent dediti, citius illud tollendo, nobile atque ab omnibus populis imitandum justitiae atque magni animi exemplum praebere (22); ingens tamen iis pondus addidit eorum temporum ratio, quae quum luculentissime omnes populos doceret, quam periculosum sit, res, longissimo usu firmatas ac cum ipsorum Imperiorum existentia quasi conjunctas, subito velle mutare, de fausto ejusmodi consilii successu Angliae Legislatores haud parum sollicitos reddere necessario debuerunt.

VI. Postquam vero A°. 1802 pax inter nationes belligerantes erat composita, atque aliquam firmitatem Regna et Imperia nactura videbantur, rem, aliquamdiu intermissam, certe non eo, quo antea, fervore actam, novo

(22) Vid. Wilberforce, *Lettre à Talleyrand*, pag. 28 et 29, et Brougham, *Beknopt verslag* cet. pag. 30 et 31 et pag. 40 et 41.

novo animi studio novisque viribus susceperunt ferorum causae patroni, neque etiam, quamvis bellum mox renovaretur, a nobili proposito iterum destiterunt. Quum igitur A^o. 1804 haec res denuo, referente Wilberforcio, ad Parliamentum Britannicum deferretur, in Curia Regni inferiore (23), auxiliantibus inprimis Pittio et Foxio, causa humanitatis victoriam obtinuit; quam tamen adjuvisse etiam videbantur res nuper St. Domingi gestae; verum in Curia Regni Superiore (24), cum legem propositam habitis orationibus oppugnassent Hawkesbury, Grenville et Dux Clarenciae; fervorem autem mercatores *Liverpoolienses* et Coloni Indiarum Occidentalium libellis supplicibus commercii continuationem petissent, res ipsa decisa non est, sed ad sequentem Curiae concilium prorogata (25). Hic autem apparuit, quibus rationibus plerique servitutis patroni ad rem injustissimam defendendam inprimis moverentur; namque veriti, ne faustum tandem successum obtinerent Wilberforcii conamina, multi omnino legem propositam, tamquam civitati, privatis, vel etiam urbi alicui perniciosissimam oppugnarunt, quos inter praecipue nominantur Gascoigne, Young, Tarleton et Pulteney. Quod juste indignatus Foxius turpissimam eorum rationem, qui, cuncta ex paucorum utilitate esse gerenda existimantes, justitiam atque humanitatem penitus negligenter, graviter admodum increpuit (26), at ne

tum

(23) Belgice *het Lagerhuis*.

(24) Belgice *het Hoogerhuis*.

(25) Vid. Bredow, *Chronik des neunzehnten Jahrhunderts* An. 1804. pag. 429 et 430.

(26) Cf. *Supra Sect. III. cap. 2. §. 1.*

tum quidem, quamvis summi in civitate viri Afrorum causae patrocinium suscepissent, rem gravissimam ad finem speratum perducere licuit; rejecta enim fuit lex proposita in Curia Regni inferiore; ne tamen Afri in Colonia nimium auferentur, fervorum invehendorum numerus lege fuit definitus (27).

Postquam autem die 24 Januarii Aⁱ insequentis 1806 Pittius, vir celeberrimus, diem obiit, et Foxii summa rerum gubernacula erant tradita, hic omni, qua, tanto munere functus, valebat, auctoritate usus est, ut praeclaris Wilberforcii conatibus, quibus toto pectore adhaerebat, quam plurimum posset ponderis adderet. Quo factum est, ut, quamvis duo tum quoque viri essent, qui rem injustissimam defendere conarentur, Torleton scilicet, et Gascoigne (28), tandem conjunctis Foxii, Wilberforcii, Francifii, Windhamii aliorumque viribus succubuerint fervorum commercii fautores. In utraque enim Regni Curia lata sententia fuit: fervorum commercium tollendum esse, precibusque Regem adeundum, ut quibuscunque modis ceterorum populorum, fervorum commercium exercentium, Principes invitaret, ut horrendi hujus commercii tollendi consilio quam primum accederent (29).

A^o.

(27) Vid. Bredow, *Chronik des neunzehnten Jahrhunderts An. 1805. pag. 802—807.* Dignissima autem est, quae integra legatur, egregia Foxii oratio, quippe eloquentiae Britannicae documentum splendidissimum exhibens. Cf. Clark-son, *History of the abolition of the Slave-Trade, T. II, pag. 318—333.*

(28) Hunc non puduit ad rem atrocissimam defendendam locum ex tertio Libro Moⁱsis afferre, in quo jubentur Israëlitae eos in servitatem redigere, quorum terram possiderent.

(29) Vid. Bredow, *Chronik des neunzehnten Jahrhunderts An. 1806. pag. 49—51.*

A°. tamen demum infrequenti 1807 mensis Februarii die 5. et 6. haec supremæ Curiae sententia legis vim accepit, annique sequentis 1808 dies primus, tamquam tempus fixum, fuit statutus, ex quo lex de fervorum commercio tollendo lata singulos Britanniae et Coloniæ civis obligaret (30). Fuit autem non tantum vetitum atque proscriptum fervorum commercii exercitium, verum etiam inter crimina gravissima relatum, et, sola mortis poena excepta, feverissimæ poenæ, quæ in Angliæ reis infliguntur, contra hujus legis violatores fuere statuta (31).

„ Hic fuit, sunt ipsius Wilberforcii verba (32),
 „ hic fuit veritatis; hic justitiæ processus; commer-
 „ cium enim fervorum, postquam ejus natura atque ef-
 „ fectus aliquando innotuerant, mox publica populî
 „ opinio damnavit; cujus sententiam paullo post Le-
 „ gislatorum auctoritas fancivit: ita ut hodieque in vas-
 „ tissimo hujus Imperii ambitu nullus civis inveniri
 „ possit, quin horrendum hoc commercium, tamquam
 „ justitiæ, religionis, humanitatis ac veræ prudentiæ
 „ civilis præceptis contrarium, proscribat atque con-
 „ demnet. Nemo tandem est, cujus tam perverfi sint
 „ mores, ut tantum dedecus non ultro effugiat; ne-
 „ mo tam perditus, ut tanti criminis conscientiam non

„ ex-

(30) Vid. Bredow, *Chronik des neunzehnten Jahrhunderts An. 1807. pag. 57 et 58.* Humanitatis amicis gratissimum spectaculum hoc Legislatorum concilio præbuit Roscoe, auctor celeberrimus, qui, quamvis urbis *Liverpoolis*, cujus ci- ves fervorum commercio maxime, erant dediti, legati personam sustineret, nihilominus horrendum hoc commercium suo suffragio condemnavit.

(31) Vid. Wilberforce, *Lettre à Talleyrand, p. 4.*

(32) *Lettre à Talleyrand, pag. 4.*

extimescat; nemo denique pecuniae, quocumque modo colligendae, ita securus, quia fortunarum, hoc commercio coactarum, hereditatem liberis relinquens, patrimonium sese ad nepotes transferre, sanguine humano inquinatum, et nomen, infamia notatum, persuasum sibi habeat." (33)

VII. In foederatis Americae septentrionalis Provinciis eodem circiter, quo in Anglia, tempore fervorum commercij lege penitus sublatum fuisse, supra (34) vidimus; quamvis enim jam anno 1805 haec lex placuisset (35), obligandi tamen vim ante primum anni 1808 diem, ex eodem SCTO illa non habuit (36).

Cui quidem humanissimo fervorum commercij tollendi consilio admodum faverat liberrima civium Anglicorum atque Americanorum conditio, et liberum de rebus publicis iudicium; idem jam antea effecerat absoluta et nullis legibus circumscripta Regis Daniae potestas (37). Hic enim, cum ab humanitate abhorrere censeret, homines pecunia comparandi morem, jam anno 1794, ejus commercij exercitium Edicto prohibuerat; verum varias ob causas illud Edictum multos annos effectu suo fuerat destitutum; donec Suprema Regis voluntate statutum fuit, ut ex primo anni 1804 die obligandi vim illud haberet (38). Quo a consilio nul-

lae

(33) Cf. tamen Malte-Brun, *Annales des Voyages* etc. T. XXIV. Cah. 70. pag. 83 et 84.

(34) *Señ. IV. cap. 1. §. 5.*

(35) Vid. Bredow, *Chronik des neunzehnten Jahrhunderts*, An. 1805. pag. 892. in nota.

(36) Vid. Bredow l. l. An. 1806, pag. 438.

(37) Vid. Wilberforce, *Lettre à Talleyrand*, p. 63.

(38) Vid. Bredow, l. l. An. 1804. pag. 430 in nota, et 1805. pag. 647.

lae mercatorum servitiam, aliorumve, quorum interesse videbatur hoc commercium non tolli, preces Regem magnanimum et imperio in populum, cujus e numero Schilderopus olim fuerat, dignissimum, detrahere potuerunt. Hic enim Schilderopus, paulo post deductam a Danis in Guineam Coloniam a societate mercatoria, cui commercii fervorem gerendi privilegium fuerat concessum, cum Imperio in Africam missus, civium suorum crudelitates non tantum continuo fuit averfatus, verum etiam mitigandae Afrorum forti omne studium omnemque operam impendit. Qua quidem humana agendi ratione tantam, etiam inter Guineae incolas, nominis famam adeptus est, ut ad visendum eum multi ex oris longe disitis adventarent, atque aliquando etiam longinquae regionis princeps filiam formosissimam, nec non pretiosissima auri munera ad eum miserit, ut e viro, tantis virtutibus conspicuo, nepotem haberet (39).

VIII. Quamvis autem, bello vehementissime flagrante, Rex Britanniae fuerit impeditus, quominus Galliae ceterarumque regionum, huic vel plane subjectarum vel ab ejus nutu pendentium, Principes ex supremi Senatus voto invitaret, ut, ad fervorem commercii tollendi consilium accedentes, hoc generis humani flagitium penitus exstinguerent; nihilominus, cum omnes fere Colonias, ad hos populos pertinentes, Angli jure belli occupassent, lex de servis non amplius invehendis a Senatu Britannico lata, ad has quoque possessiones fuit extensa, donec, pace inter gentes composita, redditisque Colonis, quidnam haec de re statuendum esset,

(39) Vid. Raynal. *I. L. T. VI. Lib. 11. c. 20. et Cf. Taferselen van West-Africa, pag. 13 et 14.*

set, ipsi Principes viderent. — Interea vero, ut lex, qua fervorum commercium vetitum erat, plenissimum effectum haberet, et ipsi Guineae, cujus causa illa praecipue lata erat, utilis existeret, nova in Guinea Societas condita fuit, *Institutionis Africanae* nomen gerens, cujus membris ac fautoribus multi inter viros, generis ac nominis laude conspicuos, primarii nec non Princeps e domo Brunsvicensi annumerabantur. Huic Societati propositum fuit, ut legi de fervorum commercio tollendo observandae, liberali institutioni introducendae, denique industriae morumque culturae promovendae atque amplificandae omne studium omnemque curam impenderent (40); similis quaedam Societas jam circiter A°. 1790. juxta *Sierram-Leonam* promontorium fuerat erecta, atque ab eo *Societas Sierrae-Leonae* dicta, cujus quidem Socii illud imprimis agebant, ut incolarum industriam excitarent, fervorumque commercio, aliud honestius fructuum aliarumque rerum, quas loci natura vel incolarum industria posset proferre, commercium sensim substituerent; hanc autem Coloniam Galli, tum temporis omnibus institutionibus, quibus hominum salus posset promoveri, inimicissimi, anno 1794, aliquot navibus contra eam misis, fere devastarunt (41); verum postea novo illa

ac

(40) Vid. Wilberforce, *Lettre à Talleyrand*, p. 56.

(41) Hujus expeditionis naturam vere depinxisse mihi videtur Wilberforcus, *Lettre à Talleyrand*, pag. 57. his verbis: » Notre Colonie de Sierra-Leone fut presque étouffée dans son berceau par une expédition armée que la France détacha en 1794 contre elle; mais ce fut un effort de cette même rage révolutionnaire qui remplit votre propre pays de misère et de terreur. L'esprit d'opposition que le gouvernement Français d'alors montra contre un

ac humano generi grato splendore floruit: de utriusque autem societatis actis annui nuntii in Angliam mittuntur, quaeque ab iis referuntur, typis excusa promulgantur (42); e quibus patuit, haud inanem spem illos humanitatis patronos fovisse, qui, sublato fervorum commercio, Guineam ad ingenii morumque culturam paulatim profecturam praedicarent, quoniam horrendo hoc commercio factum fit, ~~est~~, contra omnis aevi experientiam, regiones, ad littora maris sitae adeoque commercio cum aliis populis gerendo aptissimae, summa barbarie submerfae diu jacuerint; dum in provinciis, a mari longe disitis, rerum scientiarumque notitiam haud contemnendam, et ingenium moresque excultos incolae possiderent (43).

Ce-

» *Stablisement dont l'objet étoit de substituer un commerce*
 » *paisible et innocent à la Traite des Nègres, fut un esprit*
 » *parfaitement naturel. Son attachement à la Traite des*
 » *noirs portoit la même empreinte. Les liaisons de ses*
 » *agens avec les commerçants en esclaves, étoient des liai-*
 » *sons de sympathie.*” cet. De praeclaris autem hujus Societatis meritis vidi imprimis Brougham, *Beknopt verflag*, cet. pag. 55 in nota ab Editore adjecta. et *Nederl. Staats-Courant* 6, Februarij 1815. n°. 31. pag. 2, 3. et 9. Februarij 1815 n°. 34. pag. 1 et 2.

(42) De utraque hac Societate vid. *a letter to W. Wilberforce Esq. (&c.). containing Remarks on the Reports of the Sierra-Leone Company and African Institution, with Hints respecting the means by which an universal abolition of the Slave-trade might becomed into effect. By Rob. Torpe Esq. L. L. D. Chief-Justice of Sierra-Leone, and Judge of the Vice Admiralty Court in this Colony (&c.). London 1815.*

(43) Vid. Sir Samuel Romilly *l. l.* pag. 30. et C. Wilberforce, *Lettre à Talleyrand pag. 15 et 16.*

Ceterum, ut de scriptoribus, qui hoc tempore *Astro-*rum causam defenderunt, pauca addam; nullum neque in Anglia, si egregias Pittii, Foxii et Wilberforcii orationes excipias, neque in Gallia alicujus nominis opus prodiit, in quo haec res ex professo tractetur; multae vero, sic dictae *Ephemerides*, editae fuerunt, in quibus hac de re ab utraque parte summa animi contentione certatum fuit, quas tamen hic memorare nihil opus est. Unum tamen opusculum hic memorari meretur, nempe Broughami, in quo pleraque argumenta, pro tollendo fervorum commercio afferri solita, dilucide et ad persuadendum efficacissime exponuntur (44). Praeterea ad illustranda pleraque, quae hucusque de Guinea ejusque incolis false narrabantur, multum contulerunt nonnulli viatores, quorum praecipui sunt Winterbottom, Mungo Park, aliique (45); atque etiam a *Societate Sierra-Leonae* nonnulla huc spectantia edita fuerunt (46).

Apud nostrates vero, praeter breves quasdam de hac re animadvertiones, in aliis libris dispersas, unum hoc tempore opus prodiit, edente Viro Doct. J. van Geuns, *Philalethes Eleutherus over den slavenstand* dictum; cujus, licet brevisimi, haud exigua sunt merita. Denique huc quoque pertinet alterum Clarksoni opus, *Historiaa fervorum commercii sublati* titulum gerens;

(44) Belgica hujus opusculi versio cura viri Ampl. P. van Yzendoorn prodiit Hagae-Comitum 1804; cujus praefatione disci potest, quantam vim in Legistratorum animos hic libellus habuerit.

(45) Vid. Bredow, *Chronik des neunzehnten Jahrhunderts*, An. 1805, pag. 1234—1236. et Wilberforce, *Letters to Talleyrand*, in Appendice.

(46) Vid. Bredow *l. l.* pag. 1236.

rens; in quo omnia, quae ad hunc scopum attingendum in Anglia facta fuere, fufe et more Clarkfoni, i. e. egregie exposita funt.

C A P U T III.

De Gallia ad univerfam fervorum commercii abolitionem accedere recusanti.

I. Itaque, dum bellum inter gentes Europaeas vehementissime flagrabat, pace tuta tranquillaque frui coeperant feliciores jam nunc Guineae orae, cum omnes fere populos, a quibus fervorum commercium nondum esset proscriptum, Coloniarum atque adeo ipsius maris comiteu, propter belli statum, intercluderent Angli. Verum, cum post multorum annorum horrendas caedes A. 1814 cunctae gentes animos ad pacem vertere viderentur, hanc opportunitatem statim arripendam censuerunt ii, qui Regni Britannici frena tenebant, ut tum Gallos, tum Belgas ceterosque populos ad humanitatis partes amplectendas invitarent (1). Neque, quod ad patriam nostram attinet, irrita fuit haec invitatio, cum Princeps benignissimus, in Patriam vix re-
dux, humanis Imperii Britannici consiliis admodum
fa-

(1) Vid. quae hac de re dixerunt Wilberforce et Grenville; in Curia Regni Inferiore et Superiore, die 5. et 4. Maji 1814. *Nederlandfche Staats-Courant* 11. Mei 1814. n.º. 110.

favens, fervorum commercium plene sustulerit ac poe-
nis statutis vetuerit (2); incongruum atque a pietate
alienum existimans, felicissimam atque optatissimam re-
rum mutationem tantorum criminum redintegratione
inquinare. Sueciae quoque Rex, sua sese in communem
utilitatem conamina velle conferre, quo citius hoc hu-
mani generis flagitium penitus tolleretur, declaravit (3).
Alia vero res in Gallia fuit; nam, licet in ipsis Instru-
menti pacis Articulis Ludovicus XVIII publice pro-
dicet fervorum se commercium, aequae ac Britanniae
Regem, damnare, omnemque sese operam daturum esse
promittat, ut in proximo Principum concilio, quod
Viennae haberetur, illud commercium penitus extin-
guatur (4); tantum tamen apud Gallos non valuit cri-
minum, hoc modo renovandorum, conscientia, quin sum-
ma animi pertinacia quinquennalem horrendi fervorum
commercii restorationem in contractu Pacis sibi pacis-
cerentur (5); cujus rei nuntius cum in Angliam per-

(2) Vid. Wilberforce, *Lettre à Talleyrand*,
pag. 63. Cf. *Nederl. Staats-Courant* 17. Junij 1815. n.º.
142. pag. 2.

(3) Vid. *Nederl. Staats-Courant* 6. Julij 1814. n.º. 156.
pag. 2.

(4) » S. M. Très-Chrétienne, partageant sans réserve
» tous les sentiments de S. M. Britannique relativement à
» un genre de commerce, repoussé par les principes de la
» Justice naturelle et les lumières du temps où nous vivons,
» s'engage à unir tous ses efforts à ceux de S. M. Britan-
» nique pour faire abolir la traite des esclaves au prochain
» congrès." *Articles Additionnels au traité du 30. Mai avec
la Grande Bretagne. Art. Ier. Journeaux de Paris du 3. Juin
1814.* — Cf. Simonde de Sismondi l. I. pag. 98 et 99.

(5) Vid. Simonde de Sismondi l. I. pag. 4. Quo-
modo paucis abhinc annis Galli Anglos accusarint, quod hor-

venisset, tantis omnium omnino civium animos occupavit dolor, ut laetitiae sensus, propter pacem conditam conceptus, exinde haud parum fuerit imminutus (6).

II. Neque tantum doloris sensu sese cruciari omnes passi sunt, verum ex ingenti etiam libellorum supplicum, Parlamento oblatorum, numero, in quibus novam pactionem hac de re cum Rege Gallico ineundam omnēs postulabant, satis superque apparuit, Afrorum causae patrocinium, paucorum antea virorum curam, nunc, postquam fervorem commercii, indoles atque effectus innotuerant, universam nationem Anglicam suscepisse. Quae quidem publica mentium agitatio, cum viros in civitate primarios fugere non posset, in proximum Legislaturam conventum vim suam exercere necessario debuit. Quam igitur die 6 Junii Castlereaghii, qui Regis Britannici personam in pace Parisiensi condenda sustinuerat, Curiae Regni inferioris concilio adesset, surrexit Wilberforcus, et, praemis quibusdam de pacis inter gentes composita gratissimo ac felicissimo eventu, dicendi materiem inde petivit, quod, quum universam commercii fervorem abolitionem hae opportunitate ab omnibus populis sancitam iri, omnes humanitatis studiosi certo sperassent, nihilominus Gallia, consentientibus nationibus victricibus, horrendum hoc commercium de novo esset instauratura; ac gravissimas affuisse causas, [sibi nimirum ita

horrendum commercium nondum abolevisent, legi potest apud Bredow, *Chronik des neunzehnten Jahrhunderts An. 1806. pag. 15.*

(6) Vid. *the Edinburgh Review* Nov. 1814 in capite *Revival of the Slave-trade*, pag. 106.

est existimandum esse], propter quas atrocissimae hae conditiones Gallis fuisset concedenda; ex animo doluit. Quibus quum breviter admodum respondisset Castlereaghius, Regis Britanniae administris melius visum fuisse, Galliam in universam fervorum commercii abolitionem consentientem, verum quinquennalem ejusdem continuationem sibi postulantiem, quam, hac conditione denegata, hujus commercii tollendi consilio forte semper reluctantiem habere, ac sese etiam, propter magnanimitatem Regis Gallici indolem, citius, quam stipulatum esset, hoc commercium penitus sublatum iri, haud inane sperem fovere; a longiori disputatione destitit Wilberforceius (7). Aliquanto fortius locutus est, proximo Curiae conventu die ejusdem mensis 28, Samuel Romilly, qui, cum argumentorum, quibus res se gestas defendere combatitur Castlereaghius, exiguum momentum esse ostendisset, illius culpandi ac vituperandi opportunitatem saepe arripuit, et, post elapsam quinquenniam, tantum non fervorum commercii tollendi consilio Gallos fore propensiores [quod praedicaverat Castlereaghius], ut potius omnem hujus rei curam habere tum temporis essent recufaturi, evidentissime probavit (8). Post multas repetitasque ab utraque parte altercationes vehementissimas, tandem die 30 Junii, proponente Landsdownio, res eo rediit, ut

Prisi-

(7) Vid. *Nederl. Staats-Courant* 14 Junij 1814. n. 137. p. 5. Hunc fervorum causae propugnatorem hac opportunitate nimis cito filuisse arguit auctor *Ephemeridis, the Edinburg Review*, Nov. 1814. in Orationis, a Romilly habitae, critica.

(8) Vid. *the speech of Sir Samuel Romilly in the House of Commons on the Twenty-eighth June 1814 on that article in the Treaty of Peace, which relates to the Slave-Trade*, pag. 9—11.

Princeps Walliae, Regis munere fungens, precibus adiretur, quibus, post expositum dolorem, quæ ex minus fausto conaminum, ad peritus tollendum serventur commercium ab ipso adhibitorum, successu, Senatus concepisset, ab eo postularent, ut commercii continuo tollendi novas condiciones Regi Gallico offerendas atque a solemni Principum concilio, qui Vienna haberetur, idem hoc commercium, tanquam juri inter gentes recepto, contrarium, proscribendum curaret (9).

III. Interim, dum ex Senatus supremi voto hac de re cum Rege Gallico iterum agebatur, atque, cura imprimis Wellingtoni, viri, quem alterum eadem aetas vix ferat, tum temporis Legati Britannici munere apud Regem Galliae fungentis, aliquem certe successum fortitura causa humanitatis videbatur (10), larga libellorum, in quibus hac de re ab utraque parte summa animi contentione certabatur, tum in Gallia, tum in Anglia prodit seges; e quibus cum optime disci possit, quanam tandem questionis status fuerit, quibusque argumentis utraque gens rem suam defendere conata fuerit, brevisima eorum, certe præcipuorum, mentio facienda est.

Priorem locum, tum propter auctoris nomen, constanti humanitatis causæ defensione celeberrimum, tum propter ipsius opusculi merita, sine dubio occupat egregia Wilberforcii *ad Talleyrandum Epistola*.

(9) Vid. *Nederl. Staats-Courant* 6. Julij 1814. n°. 151. pag. 4. et 11. Julij 1814. n°. 160 pag. 3.

(10) Cf. inter alia *Nederl. Staats-Courant* 9. Decembris 1814. n°. 189. pag. 3.

to (11). In quo libro conscribendo duplex imprimis auctoris consilium fuisse apparet; alterum, ut perveffas opiniones de fervorum commercii natura atque effectibus et de consiliis, quibus moti Angli tanto animi studio Afrorum causam amplexi fuisse vulgo crederentur, oppugnaret, et eaque impedimenta, quae citiorem fervorum commercii in Anglia abolitionem prohibuissent, a Gallis abesse demonstraret; alterum, ut hicce liber, vixi, multis ingenii dotibus praeclari ac summa auctoritate valentis, nomine ac titulo insignitus, faciliorem ad Gallorum animos accessum haberet. Utrum autem justam et fini suo convenientem hujus viri electionem fecerit celeberrimus scriptor, cum auctore *Ephemeridis the Edinburgh Review*, in ejus Epistolae critica, valde adhibuimus? quod autem ad alterum attinet, scopum suam ita praeclare attingisse censendus est, ut, hoc libro lecto, nullum de causae, quam defendit, justitia dubitum apud quemquam residuum esse possit, nisi affirmam circumferat praedictis opinionibus offuscatum eto peccus veritatis voci clausum (12). Hic autem li-

(11) Haec Epistola, Anglice conscripta, mox Gallice versa, mense Octobris An. 1814, Parisiis prodiit, sub titulo: *Lettre à son Excellence Monseigneur le Prince de Talleyrand Périgord, Ministre et Secrétaire d'État de S. M. T. C. au Département des Affaires Étrangères, et son Plénipotentiaire au Congrès de Vienne; au sujet de la Traite des Nègres, par Wm. Wilberforce, Ecuyer, Membre du Parlement Britannique.*

(12) Haec sunt verba, quibus dictae Ephemeridis Auctor hanc Wilberforcii libellum celebret: » *We discover in this publication the handywork of one of the most eloquent men of our times; the liveliness of whose fancy is only kept from breaking out in playfulness and wit; by the heartfelt conviction under which he writes, that the*

N

» su-

belli ordo, ut, postquam dicendi initium ex eo
 fuerit, auctor, quod inter cetera belli mala illud quo-
 que haud minimum censendum sit, quo mutua opinio-
 num progressumve in aliqua scientiae humanae parte
 communicatio magis minusve impeditur, cunctae diffi-
 cultates, durante publica Senatus Britannici in hanc
 causam inquisitione, ab adversariis motae, modusque,
 quo illae solutae fuerint, exponantur, quoniam verba
 huius commercii indolis effectuumque ignorantia Gallos
 imprimis laborare, Auctor censet; dein gravissimas illas
 rationes, quae huc commercio in Anglia tollendo
 impedito impedimento existerent, ingentem scilicet civium
 multitudinem, ex hoc commercio victum quaerentium, et
 specie enormem pecuniae summam, ad illam exercendum ad-
 hibitam subitaque eiusdem abolitione summo periculo ex-
 positam, aliasque haud minoris momenti causas, in Ger-
 mania hoc tempore non adesse, post quinquennale vero
 huius commercii exercitium iterum affuturas, et magis
 arduam non reddituras, ejus tollendi consilium, eviden-
 tissime prohibetur. Praeterea: St. Domingi insulae, cu-
 jus causa Galli fervorem commercii redintegrationem
 praecipue petierant, eam conditionem non esse, ut ulla certa
 spe impetus in illam fieri aliave ratione, ejusdem Prin-
 cipes dirjugari possint, firmis admodum argumentis de-
 monstratur; denique neque tibi, neque ulli Anglo all-

quoti-
 » subject is of the deepest concernment to mankind. As an
 » advocate, he shows eminent skill in choosing and hand-
 » ling his topics. — All his attacks are brought to bear
 » home upon French interests and feelings. From whatever
 » point he begins there he ends; and so fine a mixture of
 » acute reasoning, with deep-toned declamation and lively
 » and apposite illustration has not for many years been so
 » cesible to the French reader." cet.

quod Gallis; Gallorumve Colonis horridi constantis esse; quod ferorum commercio colludo tam acie inhaereant; nonnulla haud levia documenta ab auctore proferuntur:

IV. Alius generis libellus est saepius laudata Romilli oratio, die 26 Junii A^o. 1814, cum de foedere pacis inter nationes beligerantes condito quaestio incidere, in Curia Regni inferiore habita. Quamvis enim Afrorum causae uterque aequae favere studeat, ipsa tamen dicendi opportunitas, et Auditorum locique condicio diversam ejusdem rei tractationem non efficere non potuerunt; maxima autem inter utrumque libellum differentia in eo est, quod in illo minus apparet, propter renovatum generis humani flagitium summa tristitia affectus, ac temperatae eloquentiae dulcedine et argumentorum, ex humanitate imprimis repetitorum, vi tanta crimina renovatos a nefanda consilio deterrere studens; in hoc autem eloquentiae flumen, indignatione propter neglectam humanitatis causam tumidum, ac vi irresistibili in saevissimae pacis auctores ruens, maxime conspicuum fit. Hinc duplex praecipue orationis argumentum est; alterum, quo causas non affuisse, cur tali conditione pax cum Gallis conderetur; Orator demonstrat; alterum, quo causas, ad defendendam suam agendi rationem a pacis negotiatore allatas, omni vi destitutas esse probetur; quas inter, cum haud minimi ponderis visa fuisset illa, qua publicae populi Gallici opinioni aliquantum temporis concedendum fuisse, priusquam unanimi omnium consensu horrendum hoc commercium ibi posset proscribi, sicuti in Anglia quoque ad hanc animorum conversionem efficiendam viginti annorum spatium opus fuisset, dixisset Castlereaghii; hoc imprimis argumentum tam fortiter oppugnavit, ut

contrarium evidentiſſime evicerit (13). Ceterum tantas habet haec oratio eloquentiae dotes, ac fermoris

or-

(13) Quanto eloquii flumine illud fuerit demonstratum ex seqq. potest apparere, in versione vix imitandis: *The prejudices of the French the noble Lord says, were to be attended to. That they have not at once adopted our opinions, cannot surprise us. We were long before we acted on them ourselves. Having been nearly twenty years abolishing this trade, can we complain that France requires an interval of only five to prepare for its abolition? But when this question is asked, it should be recollected what the obstacles were which, in this country so long retarded the accomplishing that great act of justice. They were, obstacles, which have no present existence in France, but which are preposterously, under the operation of this treaty, to be created in order, as we learn from the noble Lord, that by the slow progress of reason they may be in time overcome. The extensive influence of Liverpool, and Bristol, and other great trading towns, opposed difficulties with us, which it required much time and patience to remove. Happily no such influence now exists in France; but it seems that by the revival of the trade, such an influence is to be generated, and to be fostered. Let the cause of humanity, the noble Lord says, be promoted in France by exactly the same means as it was in England. In other words, let Nantes, and Bourdeaux and other maritime towns, become the Bristols and Liverpools of France; let large capitals be embarked in the trade; let the support of many thousands of individuals be made to depend on its continuance; enlist the activity and zeal of commercial enterprise and adventure against you; multiply without number the enemies to the abolition, and then wisely trust to reason to refute their arguments and silence their clamours. Embody against you the most uncontrollable passions and strongest interests, and most formidable combination of men, and then calmly*

ap-

ornamenta, ut rem gravissimam dignissime tractasse auctor censendus sit.

Aliquam etiam mentionem meretur auctoris anonymi opusculum, cui hic titulus: *Remarks on the Ordinance issued at Paris, 29 August 1814, for the Reestablishment of the French Slave-trade, and on the Proposition submitted to the Chamber of Deputies by General Desfourneaux, on the subject of St. Domingo, with notices, respecting the present State of that Island. Extracted from the Christian Observer for September 1814.* In hoc libello, praeter nonnullas de renovato fervorem commercio animadversiones, egregia multa inveniuntur de praesenti Insulae *St. Domingi*, ad Gallos quondam pertinentis, statu; e quibus patet, Galliam, nisi ingentibus sanguinis humani atque optimi impensis, hujus Coloniae possessionem, tantos sumtus numquam compensaturam, recuperare non posse, adeoque fervorem commercii restorationem, hujus Coloniae

• appeal to argument, to philosophy, and to religion; to
 • disperse and to disarm them. Expect that some Clark-
 • son will appear in France, who will consume his valu-
 • able life in the service of the most oppressed and despised
 • of his fellow-creatures. What will some Wilberforce
 • shall arise, who, with unexampled perseverance, in spite
 • of clamour, and obloquy, and ridicule, will maintain
 • his steady course, till he sees the great object of his life
 • accomplished. Rely upon the slow, but certain effects of
 • free discussion in popular assemblies, and by an unre-
 • strained press; and, till all these causes shall have ful-
 • ly operated, be content that the work of death and des-
 • vastation shall go freely on upon the shores of Africa." pag. 9—11. Ceterum de hac Oratione ejusque meritis vid. *the Edinburg Review* Nov. 1814, in ejusdem Critica.

niae novis servis implendae gratia imprimis petitam, non minus inutilem quam injustam futuram (14).

Multa praeterea opuscula, huc spectantia, hoc tempore in Anglia prodierunt, quae tamen hic memorare, cum minus eorundem momentum, cumque praecedentibus affinitas, tum imprimis iustitiae ratio vetant.

V. Inter plurimos libellos, quibus causa Gallorum, servorum commercium redintegrantium, defensa fuit, duo tantum sunt, quorum hic mentio facienda videtur. Alter est Pelifoti Beauvoisienfis scriptio (15), in qua opusculum quoddam, ab uno ex *Mesavbror-
zoΦιλοφ* nupto [quo nomine Afrorum causae defensores contemptim appellantur (16)], quem ille Clarksonum esse suspicatur, Viennensi Principum Concilio oblatam, refutare conatur; cui refutandi muneri suscipiendo sese, propter diturnam in Africa atque Indiis Occidentibus commorationem, parem, ac in Patriae commoda quasi devinctum, in Prolegomenis jactat. Sunt autem hujus Refutationis tria capita; quorum primum abjectas aliquot ac vulgatas accusationes de Afrorum fallacia, furacitate, barbarie cet. exhibet, quibus tamen post recentissimas Mungo Parkii, aliorum-
que

(14) Vid. hujus quoque libelli Criticam in *the Edinburgh Review* Nov. 1814.

(15) Aliquoties hunc librum citavimus; est autem hic ejus titulus: *Refutation d'un Écrit intitulé: Résumé du Témoignage..... touchant la Traite des Nègres, adressé aux différentes Puissances de la Chrétienté. — Par M. Pelifot, Baron de Beauvois, Avocat à la Cour Royale de Paris, ancien Conseiller au Conseil supérieur du Cap-Français, de Saint-Domingue, Membre de l'Institut de France; Paris, Octobre 1814.*

(16) Vid. pag. 39.

quo summae auctoritatis virorum relationes, vix ullius fidem habebit. In capite secundo de modis agitur, quibus servi in Africa comparantur, ac, contra eorum neminem fere omnium viatorum opinionem, neque vi, neque raptu, neque aliis injustissimis rationibus, quas alibi (17) exposuimus, servos auferri, verum a Regibus et regnorum primatibus, ingentem fervorum numerum in proprios usus vel tantum ad huxum possidentibus, legitime vendi docetur. Denique in capite tertio, fervorum transportandorum in Colonias vendendorum rationem minus duram atque crudelem, certe in Gallicis Navibus atque Colonias, esse, quam vulgo creditur, auctor suo testimonio probare conatur. Quidquid autem de factorum, ab auctore relatorum, veritate sentiendum sit, ea certe refutandi ratio, qua pleraque ab adversario relata, vera quidem sed ita parum frequentia esse dicuntur, ut potius exceptiones dicenda sint, ad fidem faciendam parum apta videtur, cum eandem objectionem majori vi in ipsam retorqueri posse quisque sentiat. In toto vero hujus libelli habitu atque contextu acerbum in Anglos odium ita conspicuum est, et inveterata illa opinio, qua in Gallicarum Coloniarum ruinam tanto animi studio Afrorum causam amplecti Angli creduntur, adeo elucet, ut inde pleraque, quae hic inveniuntur, explicari atque aestimari debeant (18).

Eadem res est alterius libelli, initio hujus §. memorati, et Abbatis Dillonis nomine insigniti (19);

quam

(17) Vid. Supra Sect. II. c. 3.

(18) Cf. inter alia Praef. pag. VI, et XII, pag. 1, 2, 3, 24, 25, 28, 33 et 34. cet.

(19) Titulus hic est: *Mémoire sur l'esclavage Colonial, la nécessité des Colonies et l'abolition de la Traite des Nègres*.

quamvis autem vehemens itidem Anglorum odium, et inveterata de perniciosis eorum consiliis opinio, huic quoque libello edendo ansam dedisse videatur, diversa tamen argumentandi ratio, ut aliqua ejus mentio a nobis fiat, exigere videtur. Fuit autem scriptum hoc opusculum anno 1802, post pacem Ambianam, cum servos Insularum *Guadeloupe* et *St. Domingo* emancipandos illi decrevisset, qui Regni Gallici tunc freno tenebant, verum ne in lucem prodiret, iidem vetuerant; renovata vero anno 1814 eadem quaestione, auctor edendum tum quoque hunc libellum esse censuit (20). Duplex inprimis libri argumentum est, alterum, servitutem Afrorum per se miseram non esse; alterum, etiamsi esset, tollendam tamen non esse, ne summa pernicie Coloniae afficiantur. Illud ex arbitraria atque a veritate recedenti comparatione inter Romanorum, Graecorum aliorumque populorum ac servos Colonicos instituta, nec non ex exiguis eorundem ingenii animique dotibus auctor probare conatur; huic Coloniarum naturae earumque cultura, absque servis ex auctoris sententia non perficienda, argumento est. Denique in Appendice, post pacem Parisiensem libello adjuncta, Anglorum consilia in suscipienda Afrorum causa nequaquam humanitatis vel justitiae principiis, verum propriis commodis favendi, aliisque nocendi studio originem suam debere arguuntur. Quidquid autem hac de re alii sentiant, conspicuam tamen sermonis elegantiam et aliquam certe veritatis speciem huic libello esse, neminem credo negaturum.

Quod

gnae, per M. l'Abbé Dillon, Parisiis 1814. — Praeterea huic libello inscripta est sententia, quam suae olim genti applicuerat Caesar: *Gens nimium ferox ut sit libera.*

(20) Vid. ejusdem Praefatio.

Quod tamen forte quis miretur, aliud eodem tempore in Gallia prodit opus, in quo non tantum Afrorum causa praeclare fuit suscepta, et fervorum commercii renovandi iniustitia et cum vera prudentia civili repugnantia clare ob oculos posita, verum Angli quoque a ceterorum Gallorum accusationibus defensi fuerunt. Egregii libelli auctor est Simonde de Sismondi, haud mediocrem doctrinae famam aliis scriptis jam antea adeptus (21); hujus autem opusculi tanta sunt merita, ut inter optimos, qui de hac re scriperunt, auctores, nostra quidem opinione, referri possit (22).

Praeter laudatos, alii etiam multi libelli, in quibus haec res tractatur, eodem tempore in Gallia prodierunt; quorum tamen plerique, cum Anglorum agendi rationem vehementer carpere, et vel injuriose accusare non extimescant, sed idoneum nullum, quo sententia nitatur, fundamentum habeant, quos memoremus digni non sunt (23).

VI.

(21) Titulus hic est: *de l'intérêt de la France à l'égard de la Traite des Nègres* par J. C. L. Simonde de Sismondi. Tantus autem fuit hunc libellum sibi comparandi ardor, ut, An. 1814 nondum finito, jam tertia ejusdem editio prodierit.

(22) Cf. ejusdem opusculi *Critica* in *Ienaische Allgemeine Literatur-Zeitung* No. 34. Februar 1815. pag. 268. seqq.

(23) De horum libellorum nonnullis v. c. *Considérations importantes sur l'abolition générale de la Traite des Nègres, adressées aux négociateurs des puissances continentales qui doivent assister au Congrès de Vienne, par un Portugais, Paris 1814. — Appel aux nations commerçantes et maritimes de l'Europe, ou réflexions rapides et impartiales sur la question de la Traite, Paris 1814.* aliisque vid. Simonde de Sismondi l. l. p. 63, 64, 83, 84 et 89.

- VI. Post exhibitum eorum auctorum, qui ubi his
 hisce temporibus celebrem de fervorum commercio tollendo
 quaestionem attigerunt, catalogum, jam nunc ope-
 re pretium erit, paucis pro instituti ratione investigare,
 quatenam tandem causae fuerint, cur Galli pace Pa-
 risiensi anni 1814 fervorum commercium statim tollere
 recusarint? et argumentorum, quibus haec agendi ratio
 defensa fuerit, pondus breviter pensitare. Ante omnia
 autem observandum est, in censum hic venire non
 posse speciosa illa argumenta, quibus, priusquam hujus
 commercii natura et effectus publice innotuissent, rem
 suam defendere vulgo solebant servitutis patroni, cum
 eorum Europa univ[er]sa, Ludovicus XVIII hanc
 fervorum mercaturam genus commercii esse declarave-
 rit, Juris Naturae principis contrarium et a temporum,
 quae vivimus, humanitate atque cultura abhorrens (24).
 Quamvis igitur in libellis, modo memoratis, frequens
 eorum argumentorum mentio occurrat, iisque probandis
 et refutandis Auctores Gallici et Anglici multam ope-
 ram navent, alias tamen hujus rei rationes fuisse, facile
 quisque perspicit. Quantum autem nobis videtur, du-
 plex imprimis causa est, ex qua haec Regis Gallici in-
 deneganda fervorum commercii abolitione pertinacia
 debeat explicari, altera publica, privata altera. Publicam
 eam intelligimus, qua in colloquiis, super pace con-
 denda habitis, ad rem suam defendendam usi fuerunt
 Legati Gallici; privatam, eamque efficacioram, qua
 plerique Galli imprimis movebantur, verum quam tem-
 porum ratio locique opportunitas publicae proderet non
 permittabant. Illa insulae Sancti Domingi, Coloniae
 Gal-

(24) Vid. foedus pacis, inter Galliam et Angliam initae.
 Nederl. Staats- Courant 5. Junij 1814, pag. 4.

Gallicae, hodierna conditio; haec est bonae fidei Anglorum diffidentia, nec non summa inter utrumque populum aemulatio et odium inveteratum; de utraque causa paucis videamus.

Quod igitur ad priorem attinet, illa paululum videntur illustranda. Nempe Insula St. Domingo, inter Gallorum Colonias Occidentales quondam primaria, post varios fervorum tumultus et horrendas caedes, quas hic referre longum est, tandem anno 1804, solutis omnibus, quibus cum patria Europaea ligabatur, vinculis, suo Domino subjecta esse coepit, et sub nomine Regni Haytiensis libera civitas evasit (25). Servos quidem seditiosos subigere et pristinam terram formam restituere tentaverat summus Gallorum Imperator; verum ardens libertatis amor, cuius recentissimo aestu Afri, abjecto servitutis jugo, flagrabant, omnes Gallorum conatus irritos reddidit, et virum ac peritiae militaris defectum satis superque compensavit. Postquam vero anno 1814, pace inter populos restituta, rei maritimae ac mercaturae vacandi opportunitatem Galli iterum nacti erant, commodorum, quae ex hac insula percipere quondam solebant, memores, ei subigendae in pristinamque Coloniae formam redigendae, animos fortius intenderunt. Hunc autem finem ut consequerentur, novo sibi fervorum numero, ex Africa avectorum, opus esse censuerunt, quoniam, etsi insulam subegissent, incolas tamen, qui suavissimos libertatis fructus gustassent, servitutis jugum non iterum subituros, merito judicarent. Huic vero consilio cum obstaret lex ab Anglis lata de servis non amplius importandis, cui legi a cō-

(25) Vid. Bredow, *Chronik des neunzehnten Jahrhunderts*, An. 1804, pag. 452, seqq.

teris Gallorum Colonis, flagrante bello, in ipsorum Colonorum utilitatem obsequium praestitum fuerat (26), nihilominus a proposito non desisterunt, sed in foedere pacis quinquennale hujus commercii exercitium sibi fuisse stipulati. Quamvis igitur aliqua utilitatis specie injustissima horrendi commercii renovatio videatur excusari, multa tamen sunt argumenta, quibus non tantum non commoda Gallis, sed potius perniciem esse allaturam fervorem commercii renovationem, evidentissime probari possit. Quorum quidem argumentorum praecipua haec sunt: 1°. quod Insulae *St. Domingo* expugnatio, siquidem fieri illa posset, tanto militum numero tantisque opum impensis Galliae constaret, ut, etiamsi pristina regiminis forma ibi restitueretur, longissimo tempore illa vix posset compensari (27); 2°. quod, etiamsi sponte sua, sicuti nonnulli sperabant, incolae sese Regi Gallico subjicerent, nullus tamen umquam foret fervorem Afrorum, recens invectorum, usus, quoniam ceterorum Afrorum liberorum aspectus et consuetudo novos fervorem tumultus continuo excitarent (28); cui cum 3°. accedat, quod temporum nostrorum ratio, post stupenda incrementa, quae omnium fere populorum mercatura et navigatio cepit, aliquam de restituendo pristino monopolio spem fovere vetet; facile scquitur, tantum

a

(26) Vid. *Simonde de Sismondi l. l. pag. 12.*

(27) Vid. *Simonde de Sismondi l. l. pag. 13. seqq.* et inprimis *Remarks on the ordonnance issued at Paris, 29. August 1814, for the Reestablishment of the French Slave-Trade. cet. pag. 11. seqq.* et *Cf. Nederl. Staats-Courant 20. Januarij 1815, no. 17. pag. 2, 3, 4. et 21. Jan. 1815. no. 18. pag. 1 et 2.*

(28) Vid. *Simonde de Sismondi l. l. pag. 16 et 17.* et *Wilberforce, Lettre à Talleyrand, p. 43. seqq.*

a vera prudentia civili, abesse hoc fervorum commercii renovandi consilium, quantum iustitiae et humanitatis principiis repugnat (29).

VII. Quod autem ad alteram, eamque efficaciorē causam, ex qua haec Gallorum agendi ratio explicanda est, attinet, ea perquam nota est. Tantam enim inter utrumque populum aemulationem longis abhinc annis intercessisse, ut in cunctis de politico Europae statu differentiis diversas partes fere semper anplexi sint, omnes norunt; cui tamen rei, praeter flagrantissimum, quo sese invicem persequabantur, odium, saepe ansam praebuit diversa utriusque nationis utilitatis ratio. Idem autem in hac quoque re obtinere plerique Galli censabant, absurdum iudicantes credere, Anglos ex solo humanitatis studio tantam in universam fervorum commercii abolitionem operam navare. Accesfit, quod multi auctores in libris, super hac re editis, probare conarentur, ex Anglorum commodis esse, ut fervorum commercium ab omnibus populis, inprimis autem a Gallis, penitus tolleretur; Gallicae contra nationis utilitatis rationem ulterius ejusdem exercitium postulare; eamque causam esse, cur Angli veriti, ne Gallorum res maritimae ex renovato hoc commercio insigniter amplificarentur, sub specioso humanitatis praetextu tanta animorum contentione Afrorum causam fuscipissent. — Rem, per se haud absurdam visam, sequentia argumenta videbantur confirmare: 1°. Quod Angli jam multos annos, neglectis Coloniis Occidentalibus, Indiarum Orientalium maximam, vel potius unicam curam gesferant, et ditionem suam in vastissimis his-

(29) Cum instituti ratio non fiat haec ulterius explicare, ampla hujus rei tractatio in laudato Sissonnii opere legatur.

hisce regionibus inmensam in modum extenderant, non consilio, nisi extincta cum Indiis Occidentalibus mercatura, omne mercium Indiarum commercium ad se traherent, et summum maris Imperium, quod sibi diducio arrogassent, in perpetuum confirmatum (30). Quod ad extinguendam hanc cum Indiis Occidentalibus mercaturam nihil magis conferre poterat, quam universa ferorum commercii abolitio; cum, quidquid de damnis, quibus hoc commercio civitates et privati esserentur, Auctores et Politici Anglici predicarent, ipsi tamen optime perspicerent, quam arcte cum Coloniarum Occidentalium existentia et flore ferorum commercium esset conjunctum (31); demum 3^o, quod, licet alia commoda ex sublato ferorum commercio sibi non sperarent Angli, illud tamen ipsis commode esset, quod rei navalis reparandae, et navigationis extendendae idonea via hoc modo Gallis esset interclusa, cum ipsis commercii Orientalis vastissimus campus superesset, in quo vires navales exercere et potestatem maritimarum suspendam in modum augere possent (32).

Quamvis autem omnem viam hisce argumentis denegare nos volumus, et de secundario quodam Anglorum consilio, quo tanto hujus rei studio incenduntur, haud inanis suspicio apud multos oriri videatur, sequentis tamen contra hanc Gallorum opinionem obmoveri posse videtur: 1^o. Quod licet Colonis Orientalibus communiis et amplificandis Angli hisce temporibus majorem quam antea curam impenderit, nullis tamen juribus

(30) Vid. Dillon *l. l.* pag. 37. Cf. autem Simonde de Sismondi *l. l.* pag. 37 *segg.* et Wilberforce, *Lettre à Talleyrand*, pag. 50 et 51.

(31) Vid. Dillon *l. l.* pag. 37 et 38.

(32) Vid. Dillon *l. l.* pag. 28 *segg.*

dici possunt, Colonias Occidentales, tamquam, sublato fervorura commercio, suo pretio destitutas neglexisse; cum contra saccharo ex Oriente advecto, et vitioris multo pretii, gravius vectigal imposuerint, ne faceharum, ex Colonias Occidentalibus importatum, cantores non inveniret, et ad emendam harum Coloniarum conditionem multum hodieque operae impendant (33): adeo quod damna, ex fervorura commercio in civitatem et privatos redundantia, evidenter adeo probata sunt; contrariae autem rationis commoda, post aliquot annorum spatium, experientia adeo confirmata, ut nemo hodieque in Anglia sit, quia fervorura commercium tam politicum vitium, quam morale esse, judicet; si quis tamen sit, qui Anglos aliud hac de re praedicare, aliud sentire putet et idcirco fervorura commercium, ab iis sublatum esse, ut ceterae quoque Coloniae, aliis populis hoc exemplum sequentibus, perirent; is, servitutem ab iis vitam esse in Nova-Wellis-Septentrionali, Colonia admodum longinqua (34), et in Indiis Orientalibus mercenariorum operis eos inprimis, uti, sciat (35); unde luce clarius patet, alias etiam, praeter Gallis nocendi studium, rationes ad promovendam fervorura commercii abolitionem Anglos impulsisse; et denique rei navalis peritiam ac navigationis augmentum ita parum cum fervorura commercio, et vel adeo cum Coloniarum possessione cohaerere, ut Rusorum etiam et Americae Septentrionalis incolarum, licet neutra gens longinquam Coloniam possideat, haud contemnenda tamen potentia maritima sit. VIII.

(33) Vid. Wilberforce, *Letters to Pitt*, pag. 50. et 51. et *Simonde de Sismondi* l. l. pag. 39—41.

(34) Vid. Brougham l. l. T. I. Annot. c. 2. pag. XI. et XII.

(35) Vid. *Simonde de Sismondi* l. l. pag. 40.

VIII. Ceterum, cum jam diutius hac in re commo-
 rati simus, aliis, in rebus politicis sagacioribus, inves-
 tigandum relinquimus, utrum humanitatis, an vero pro-
 prii commodi studium ad fuscipiendam et tanta animo-
 rum contentione defendendam Afrorum causam, Ari-
 glos impulerit? nobis, successum eorum contentionibus
 non defuisse, referre posse, abunde sufficit. Quan-
 quam enim Wellingtonus, Regis Anglici apud
 Ludovicum XVIII legatus, plus effecisse non videretur,
 quam ut certis limitibus, extra quos egredi servorum
 mercatoribus non liceret, horrendum commercium
 circumscriberetur (36); neque etiam in solenni Prin-
 cipum Europaeorum Viennensi consilio insignes aliquos
 profectus causam humanitatis fecisse legimus (37);
 alia tamen tempora mox successerunt, quorum auxilio;
 licet illa ab humanitate longissime aliena essent, Afro-
 rum tamen causa optatissimam victoriam obtinuit. Nam,
 postquam bellum, vix extinctum, novo atque inauditò
 furore erupisset, et gentes, Europae universae ultra-
 ces, superba Parifiorum moenia iterum subigere cõegisset,
 tantum valuit Anglorum ceterorumque populorum,
 fervorem commercii tollendi consilio amicorum, aucto-
 ritas, ut in Gallia quoque horrendum hoc commercium
 penitus ac sine ulla mora vel conditione fuerit aboli-
 tum (38). Itaque bellum, ex quo cum primus ejus
 in

(36) Cf. *Nederl. Staats-Courant* 9. Dec. 1814. no. 289. pag. 3.

(37) Vid. *Nederl. Staats-Courant* 6. Februarij 1815. no. 51. pag. 2. 11. Februarij 1815. no. 36. pag. 2. 25. Februa-
 rij 1815. no. 48. pag. 2 et 3. et cf. Articuli pacis 20. Nov.
 1815. Parifis conditae. *Nederl. Staats-Courant* 27. Nov.
 1815. pag. 2.

(38) Vid. *Nederl. Staats-Courant* 1. Januarij 1816 no. 1.
 Vix enim hic memoratu dignum est Napoleontem usurpatorem,
 post

inchoati nuntius advenisset, nova malorum. His Europae impendere videbatur, non tantum Gallorum vires insigniter fregit, et pacis orbis terrarum hostem acerrimum omni in posterum nocendi potestate orbavit; verum etiam per singularem et mirificum rerum humanarum eventum, quem ubicunque observare generis humani historiae non peritus rudes juvat, ad arcendam novam Guineae devastationem, et tranquillitatem populis, per tria saecula bellorum, caedium, rapinarum peste afflictis, restituendam, haud parum contulit.

C A P U T I V.

De praesenti servitutis Afrorum, et servorum commercii statu.

I. **P**ost pacem, anni praecedentis mense Novembri conditam, praeter Galliae Regem, commercium servorum etiam lege sustulit Emanuel Victor, Sardiniae Rex (1), ita ut, exceptis Hispaniae et Lusitaniae Regibus, nunc cuncti Europae Principes nobilissimo consensu humani generis causam amplexi sint, et regnorum suorum gloriae haud exiguum decus addiderint. Nam, licet ad Austriae et Russiae Imperatores et Bo-

789-

post perfidam suam in Parisios introitum, die 29. Martii servorum commercium lege sustulisse; cum, quoniam ex fonte illud manserit, facile quisque perspiciat et nullum effectum habuerit Imperatoria haec constitutio. Legatur tamen haec in *Nederl. Staats-Courant* 6. April 1815 no. 82. pag. 1.

(1) Vid. *Nederl. Staats-Courant* 1. Febr. 1816 no. 27.

O

causae Regem proprie haec res nihil attingat, tanto tamen animi studio ab Illustrissimis Triumviris cunctae opportunitates arripiuntur, quibus hominum salus promoveri possit, ut, quidnam de fervorum commercio sentiant, haud semel palam pronuntiaverint, atque ita humanitatis causae insigniter consuluerint. — Quod autem ad Regem Hispaniae attinet, quamvis tum Vienne in Principum Europaeorum Concilio (2), tum Madridi ab Anglicis Legatis multa hunc in finem sint tentata, nullae tamen hucusque rationes eum impellere potuerunt, ut lata lege horrendo commercio finem statueret; desperandum tamen hac de re non esse, nuper in suprema Angliae Curia dictum est (3). — Eadem fere res est de Lusitaniae Principe; hic enim, statutis quibusdam legibus, quibus fervorum transportandorum fors nonnihil mitigaretur, satis sese fecisse arbitratus (4), neque argumentis, neque precibus sibi persuaderi passus est, ut a nefando commercio desisteret; verum A. 1810, contractu cum eo inito, aliquid sese hunc in finem profecisse Legatus Britannicus putabat, sed spes eum fefellit, nam contra fidem datam Lusitani hoc commercium exercere hucusque non desierunt (5); Legato Britannico tamen strictè injunc-

tum

(2) Vid. *Nederl. Staats-Courant* 25. Febr. 1815 n. 48. pag. 2 et 3.

(3) Vid. *Nederl. Staats-Courant* 4. April 1816 n. 82. Hispanos tamen ad mitigandam fervorum sortem multa, hoc quoque tempore, fecisse legitur apud Bredow; *Chronik des neunzehnten Jahrhunderts*, An. 1806. pag. 52b.

(4) Vid. Wilberforce, *Lettre à Talleyrand*, p. 21.

(5) Vid. *Nederl. Staats-Courant* 30. Junij 1814. n. 151. pag. 4. Cf. tamen quae hac de re dicta sunt in solenni Vienneensi Concilio. *Nederl. Staats-Courant* 25. Februarij 1816. n. 48. pag. 3.

tum esse; ut, quibus honeste possit modis, fervorum commercii abolitionem ab eo impèret, legitis (6).

II. Itaque qui primi hoc commercium exercuerant, iidem postremi etiam id videntur exercituri; quasi quò dilutius nefandae rei essent dediti, eo difficilius ab ea abstrahi possent; cum contra regna recens orta et libertatem suam a pristino domino vix tuerentia, non tantum fervorum commercium statim aboleverint, verum etiam fervituti penitus tollendae animum intenderint. Illi videlicet Americae meridionalis incolae, qui paucis abhinc annis Regis Hispani imperio sese subtraxerunt et libertatem suam hodieque armis defendunt; mox post constitutam novam Imperii formam de tollendo fervorum commercio leges tulerunt. In novo regno *Chilensis* v. c. A. 1811 die 11 Octobris fervorum commercium abolitum et lex de partu libero lata fuit, ex qua omnes post hunc diem nati essent ingenui; fervis etiam ad externos pertinentibus, modo animum dimidiatum si degerint, libertas concessa fuit. Majora etiam incrementa in alia regione, *Buenos-Ayres* dicta, causa libertatis cepit; nam cum hujus regionis primates primo A. 1813 die ad constituendam Imperii formam primum convenissent, mox die 2. Februarii non tantum fervorum commercium abolitum, verum etiam lex lata fuit, secundum quam omnis fervus, peregre in novum Imperium veniens, liber, fervorum autem liberi ingenui essent. Ne vero libertas ipsis perniciosa existeret, fervorum institutioni publice vacari et arva inter dignos distribui iusserunt; tandemque humanitatis causam cum ipsa civitatis suae existentia artissimo

(6) Vid. *the Edinburg Review* Nov. 1814. in *Critical Opusculi Remarks on the Ordonnance* cet. initio.

vinculo conjungentes, quotannis ipso die, quo Imperiū liberi memoriam populus celebret, sex servos libertate donari voluerunt (7). Sic quidem humanitatis causa suscepta fuit a populis, pro sui defensione etiam nunc pugnantibus; quos tamen proprium periculum abstinere non potuit, quin Afrorum misericordia commoti, exaudita justitiae et humanitatis voce, ne avaritia ex aliorum miseriis fructus quaereret, in perpetuum impedirent. Quantum Europæis exemplum!

III. Quamvis autem ad universam hujus commercii abolitionem hucusque accedere noluerint Hispaniae et Lusitaniae Reges, nihilominus Angli, ut hominum raptus, eosque comitantia atrocitatum, barbariae et caedum spectacula, ab Africae oris penitus arceant; operam suam impendere non intermistunt. Hunc autem finem cum optime adjuvare videretur vim vi repellere, paucis abhinc annis naves bellicae in Anglia coeperunt armari, quarum ope omnes quorumcumque populorum naves, servorum quaerendorum causa Guineam petentes, accessu arcerentur, vel servi, navibus iam impositi, in libertatem vindicarentur (8). Quod quidem utrum jure Gentium Anglis facere liceat, nonnulli dubitarunt? Dubitandi tamen causae admodum graves non sunt; nititur enim hoc jus hisce argumentis: 1^o. quod, quamvis nefandum facinus *commercii* nomine vulgo audiat, proprie tamen *rapina* vel *piratica* vocandum sit, adeoque eodem jure Anglos His-

(7) Vid. *Nederl. Staats-Courant* 25. Aug. 1814. n^o. 198. p. 3.

(8) Anno praecedenti ab una navi 500 Afros in libertatem fuisse vindicatos legimus. Vid. *Nederl. Staats-Courant* 28. October 1815. n^o. 256. Lusitanos tamen id in malam partem accipere, et jus suum contra Anglos defensores, nuperrime legimus. Vid. *Nederl. Staats-Courant*, 17 Junij 1816.

panorum et Lusitanorum naves, hanc piraticam exercentes, vi aggredi, quo inter gentes Europaeas receptum est, piratarum vel raptorum vim, nulla habita ratione populi, a qua, vel in quem, hae rapinae exercentur, ab omnibus posse repelli (9); 2^o. quod, licet antiquitus nonnulli populi *barbari*, aevo posteriori vero *pagani* vocarentur, quibus jura, inter alias gentes recepta, applicanda non esse, vulgo censeretur; hodie tamen, juris differentiam non efficere diversam Deum colendi rationem diversumve culturae gradum omnes consentiant (10); quapropter Europaei, incolas ex Guinea vi auferentes, eodem *piratarum* nomine jure compellantur, quo Africi illi ex regno Tripolitano et Tunitano nobis immotescunt; et 3^a. quod, cum populi illi Guineenses, quippe suis Regibus plerique subiecti et in societatem conjuncti, inter nationes jure recensentur, Anglis quoque ceterisque nationibus plenissimum jus competat, omnia illa foedera, pactiones, contractus cet. cum hisce Guineae populis inire, quae, tamquam legitima, jus inter gentes receptum admittat; quorum e numero cum etiam sit contractus de mutuo auxilio praestando, et foedus patrocini, quo potentior gens infirmioris ejusdam tutelam et patrocinium certa conditione suscipiat, nullum, nostro saltem judicio, dubium est, quin Angli Afrorum injurias, tamquam suas, ulcisci, et subditos, ab Europaeis raptos, etiam vi in libertatem vindicare possint (11).

IV.

(9) Cf. *Nederl. Staats-Courant* 30. Janij 1814. n^o. 151. pag. 4.

(10) *Simonde de Sismondi l. l. pag. 11.*

(11) *Vid. Simonde de Sismondi l. l. pag. 85—89. De hoc Anglorum jure autem pag. 85. sic loquitur egregius Auctor: » Les Foulahs, les Jaloofs, les Mandingues; font*

IV. Ad has autem naves armandas necessarii sum-
 tus suppeditantur a societate, anno 1806 promovendo
 fervorem commercii abolitionis causa Londini erecta.
 Quae cum inter remedia, hunc in finem efficacissima,
 quamdiu quidem ab omnibus orbis terrarum Regibus
 horrendum commercium penitus sublatum non esset,
 merito censeret illud naves bellicas armandi consilium,
 quibus Guineam a continuis devastationibus tuerentur;
 aliquamdiu tamen dubia haesit, utrum haec agendi ra-
 tio cum principiis iuris, inter gentes recepti, posset
 conciliari? an vero iura, aliis nationibus competentia,
 effectu suo destitueret? Tanti vero ponderis argumen-
 ta, modo memorata, visa sunt, ut communi suffragio
 lata sententia sit: nullum jus perfectum, alicui genti
 competens, ea ratione laedi; contra populos infantes et

*» ils les compatriotes des Français? Et la desolation portée
 » dans leur pays n'est-elle pas un outrage au droit des
 » gens? Qui pourroit empêcher l'Angleterre de contracter
 » l'alliance la plus intime avec un ou plusieurs des peuples
 » indépendans de l'Afrique? Qui pourroit l'empêcher de les
 » admettre même à cette bourgeoisie, dont nous trou-
 » vons des exemples dans notre ancienne diplomatie, et d'au-
 » près laquelle, chacun des membres d'un État avoit droit,
 » à la protection complète de l'autre, et pouvoit réclamer
 » les secours des tribunaux et de la force publique de sa
 » patrie d'adoption, tout comme de sa mère patrie? Qui
 » pourroit empêcher le gouvernement Anglois de résister la
 » part des sujets libres d'une puissance alliee, comme la
 » part d'un Anglois, et d'accueillir les plaintes d'un roi
 » nègre contre tous les actes de violence, tous les actes de
 » piraterie pratiqués envers ses sujets, avec la même faveur
 » que laquelle les Monarques de l'Europe accueillirent les
 » plaintes des princes et de la noblesse immédiate de la rive
 » gauche du Rhin, dépouillée par la Convention? cet*

infirmiones ab iniusta aggressorum vi defendi; quae dein sententia publica auctoritate sancita fuit (12).

Et publicis rerum, ab hac societate gestarum, relationibus, quae quotannis in solenni concilio fiunt; eque nuntiis, a societariis in ipsa Guinea erectis (13) quotannis in Angliam missis, praeterea docemur, Anglos non tantum id agere, ut, arcendis fervorum mercatoribus, a devastacionibus et atrocitatibus, quibus hoc commercium ansam dare solet, Guineam immunem praestent, verum etiam ut pessimos effectus, quos diuturnum ejusdem exercitium in mores et ingenium incolarum habuit, sensim, sensimque tollant. Quem in finem, ante omnia eorum fidem sibi conciliare et industriam fuscitare studuerunt; dein iis rerum necessarium notitia instruendis ac Christianae religionis principis imbuendis, haud infelici successu hucusque operam dederunt (14). Quae autem magis promoverentur humana haec consilia, et omne de benigna Europaeorum mente dubium ex incolarum animis penitus tolleretur, Societas Londinensis paucis abhinc annis illud inprimis egit, ut Afros nonnullos libertinos, artium et scientiarum copia idonea instructos, ex America sibi compararet, quorum ope planior et facilior sterneretur via ad incolarum benevolentiam et fidem sibi conciliandam. Votis aridere videbatur fortuna, nam anno 1812 navi sua Londinum venit Paulus Cuffee, natione Afer, qui in America septentrionali manumisus industria ac di-

(12) Vid. *Nederl. Staats-Courant* 30. Junij 1814. n^o. 1814 pag. 6.

(13) Vid. *Supra* Sect. IV. c. 2. §. 8.

(14) Vid. *Simonde de Sismendi l. l. pag. 6 et 7.* Cf. *Nederl. Staats-Courant* 21. Februarij 1815. n^o. 44. p. 1.

diligentia eam sibi forumam comparaverat, ut navis bene armatae, in qua tantum Afrorum manumisorum opera adhibebatur, dominus ac praefectus tunc existeret. Hic, ad solemne societatis concilium admisus, morum cultura et urbanitate ac sermonis solertia et suavitate omnium sociorum animos sibi conciliavit, et ad confirmandas Anglorum de praestanti Afrorum indole opiniones haud parum contulit; res autem ipsa ex sociorum voto videbatur succedere, cum bellum inter Angliam et Americam, cujus civis Coffee esset, exortum magnas difficultates huic consilio afferret (15). Utrum autem post restitutam pacem huic rei animum denuo intenderint focii, nos quidem nescire fatemur. Ceterum, si ex paucorum annorum experientia juste argumentari licet, tanti jam sunt Afrorum ad industriam et ingenii morumque culturam profectus, ut haud infimum inter excultas orbis terrarum gentes locum Guineae, hucusque barbariae sedes, aliquando videatur occupatura (16).

V. Quae vero de emendata Afrorum, in patria sua degentium, forte referre nobis licuit, eadem miserrimae fervorum Colonicoꝝ conditioni nequaquam sunt applicanda. Praeterquam enim, quod majorem fervorum numerum, quam antea fieri solebat, proprio impetu facrum baptismi ritum in insula Jamaica subiisse legimus (17), adeoque religiosae eorum institutionis ma-

jo-

(15) Vid. *Nederl. Staats-Courant* 1. Julij 1814. no. 152. pag. 4.

(16) Cf. quae diximus Supra, *Scđ. II. c. 2. §. 6.* in fine et *Auct.* ibi cit.

(17) Vid. *Nederl. Staats-Courant* 24. Sept. 1814. no. 224. pag. 5.

jorem curam gerisse Coloni videntur, nullum omnino documentum apparet, ex quo sublevatum aliquantum esse grave servitutis jugum, possit colligi. Contra ex publica rerum, a Societate Londinensi gestarum, relatione, anno 1813 ad supremam Angliae Curiam exhibita, docemur, tantum non a rigidissimo servos habendi more post sublatum fervorum commercium Colonos abstinuisse, ut potius ea crudelitate in eos saevierint, quam humanitas abhorreat (18). Quum igitur fervorum commercii abolitio eam vim in Colonorum animos non habuerit, quam omnes merito speraverant (19), ut ad mitigandam suam in servos duritiam, propter impeditam novorum fervorum, quibus priorum loca possint occupari, importationem, eos induceret; alia efficaciora remedia, quibus Colonorum saevitiis aliquis tandem modus imponatur, adhibenda esse Societas Londinensis existimavit, et in eadem rerum gestarum relatione ad supremum Senatum, quaedam huic scopo inservitura Legislatorum oculis subjecit. Remedia praecipua haec sunt: 1^o. ut Afri servi esse desinant, glebae adscriptitii evadant; quo inprimis continuae illae hominum venditiones impedirentur, quae multis crudelitatibus animum dare soleant, et fervorum conditio univérse haud parum emendaretur; 2^o. ut jus testimonium etiam contra Europaeum ferendi Afris concedatur, quod nisi fit, nullam umquam fervorum fortis emendatio sit expectanda; 3^o. ut fervorum numerus, quem quisque Colonorum possideat, in publicas tabulas referatur, et similia.

(18) Vid. *Nederl. Staats-Courant* 1. Julij 1814, no. 151.

pag. 4.

(19) Cf. *Supra* *Sec. III, cap. 2, §. 6.*

Utrum autem aliquem adfugum hanc Societatis Londinensis conamina hucusque habuerint, nobis de adhibitis, cum legi, a Wilberforce nuper in Parlamento scitae de servis numerandis, et in publicis tabulis referendis, plurimos mercatores aliosque homines sese opposuisse legimus (21).

VI. Quae quidem cum animum tristitia afficiant, multo jucundius spectaculum offert hodierna Insulae St. Domingo conditio. Postquam enim, sedatis tumultibus internis et internis caedibus, Imperium firmitatem et cives tranquillitatem nacti fuerant, tanta in Regno *Haytienfi* incrementa cepit ingenii morumque cultura, ut qui de praestantibus animi dotibus, quibus Africae univere gaudeant, nunquam dubitaverint, ii ipsi eam libertatis vim fuisse, merito stupeant. Omnis insula in duo regna est divisa, quorum alterum Monarchicum *Christophi*, alterum Democraticum *Petion* obtinet, uterque, dominante *Desfalinio*, militum Praefectus (22). Ille Anno 1811 *Henrici I.* *Hayti* Regis, titulum sumpsit, eumque in descendentes transferri iussit; hic Reipublicae *Haytienfis* Praeses vocatur, summaque potestas inter eum et senatum est divisa (23). Uterque sapientissimas et civitatis, suae necessitatibus consentaneas leges tulit, et rebus rite administrandis omnibusque, quibus populi salus possit promoveri, cu-

ran-

(20) Vid. *Nederl. Staats-Courant*. eodem et 6. Januarii 1815 n.º. 6. pag. 1.

(21) Vid. *Nederl. Staats-Courant* 30. Jan. 1816. n.º. 26.

(22) Vid. *Bredow, Chronik des neunzehnten Jahrhunderts An. 1804. pag. 452.*

(23) Vid. *Simonde de Sismondi l. l. pag. 90 et 96. Remarks on the ordonnance issued. pag. 10 et 11. the Christian observer for September 1814.*

regia sanguinem studium impendit; et, quodvis in otio- que regie ordina militari summus tribuatur honos, in- genio tamen et moribus excolendis, atque imprimis proli educandae ac rerum necessariorum notitia imbuen- dae multum operae navatur (24). Christophe au- tem, sive Henricus I Regia Majestate sese cir- cumdari gaudet; et aulae suae magnificentiae et splen- doris cum titulorum amplitudine (25), tum imprimis viris, ingenii dotibus praeceteris praeditis, sibi ade-

(24) Haec sunt verba, quibus in *Ephemeridi Haytiensi* [*Annuaire Royal d'Hayti*] sub Regis Henrici auspiciis edita, extrae, hinc rei exhibitae, ratio datur: « Une royale école militaire est établie au Cap Henri, ses professeurs sont payés par le Gouvernement; ils enseignent la lecture, la grammaire, la géographie, l'histoire, la tactique militaire, les mathématiques, l'art de lever des cartes, les fortifications etc. et les élèves sont accoutumés à tous les genres d'exercices. Dans chaque ville, dans chaque bourg du royaume on a établi une école, où l'on enseigne les langues française et latine, la géographie, l'histoire, les mathématiques, le dessin, et les arts d'agrément. Le roi donne à chacun un emplacement pour l'école, il récompense les maîtres les plus zélés, et il distribue des prix annuels aux élèves les plus distingués. » Vid. *Simonide de Simonidi* l. l. pag. 90.

(25) Tituli maxime conspicui hi sunt: « Sa Majesté Henri, Roi d'Hayti; sa Majesté Marie Louise, Reine d'Hayti; son Altesse Royale Monf. le Prince Nourle, Colonel-General des Gardes Haytiennes. — Sa Grâce, Monseigneur le Duc de Plaisance, Grand Marechal d'Hayti. — Son Excellence Monseigneur le Comte de Eimonade, Ministre des affaires Etrangères et Secrétaire d'Etat. Son Eminentissime et Reverendissime Monseigneur l'Archeveque, Duc de l'Anoe, Grand Aumonier du Roi. M. le Baron de Sicard, Grand Maître des Ceremonies. » Vid. *Remarks on the Ordonnances* etc. pag. 8.

jungendis, haud parum studii impendit. Hos inter imprimis eminet Comes Lamoignon de, Régis in rebus exteris Administer, qui in scripto quodam Politico tam tamque accuratam rerum Europaearum et Artis Politicæ notitiam prodidit, quantum in Politicorum celebrium scriptis vix invenias; eaque sermonis elegantia, et perspicuitate ac suavitate usus est; qua plerique eorum carent, qui humanam naturam Afris denegent (26); præterea ampliore librum edidit, cui titulus: *Relation des événemens qui ont portés Leurs Majestés sur le trône de Haïti*; in quo præter accuratam rerum, St. Domingi gestarum, relationem, multa quoque loca de libertate contra externos defendenda, et de evitandis bellis civilibus invenitur, quæ stilo elegantissimo et sublimi sese commendunt, Europæoque, alto supercilio in Afros despiciere solitos, admiratione percillant (27). — Quamvis autem Petion, Republicæ *Haïtiensis* Præses, eam vitæ majestatem,

(26) Vid. Simonde de Sismondi l. 1. pag. 907
 » Cette dépêche datée de Sans-Souci le 20 Juin 1814 et adressée
 » à Mr. Peltier, résident de Henri I. à Londres,
 » a été publiée dans plusieurs journaux. Elle est reimprimée
 » dans the Christian observer for September 1814.
 » Ibidem in nota.

(27) Sic. v. c. post expositum bellum inter Christophum et Petionem gestum, ita pergit Afer doctissimus: » Ici naît
 » la réflexion la plus triste pour l'humanité. Nous savons
 » que nos dissensions font la joie des amis de l'esclavage;
 » que nos tyrans communs en veulent à nos jours, qu'ils
 » ne calculent pas moins qu'une annihilation totale de la
 » population d'Haïti, qu'ils voudroient pouvoir remplacer
 » par de nouveaux malheureux transportés des contrées
 » Africaines; Nous connaissons toute la profondeur de leur
 » scélératesse; et nous nous empressons à l'envisager les ser-

» vir

cui Christophe studet, non cessetur, eandem tamen rerum administrationi, et ceteris utilibus institutis curam impendit, ac viris, probitate ac sapientia conspicuis, Regni consiliariis uti, imprimis sibi proposuit; hujus autem viri tantae sunt privatae virtutes, tam mitis et affabiles mores, tantaque in patriam ac cives suos merita, ut omnium amorem sibi conciliaverit ac non tam Princeps, quam Pater a plerisque nuncupetur (28). Inter Regni Consiliarios excellere videtur B. Ingenace, cujus etiam opera Emisarii Christianorum humaniter ac comiter fuere excepti, ac religio Christiana insignes in hoc Regno progressus factura videtur (29).

Ceterum non tantum moribus et ingenio excolendis, verum etiam ipso incolarum industriae excitandae, agriculturae amplificandae, ac mercaturae cum exteris exercendae multum in utroque Regno operae navatur (30); ita ut Hayti incolae, ante viginti circiter annos eodem, quo ceteri Afri, durissimo servitutis jugo pressi, nunc, postquam libertatem naturalem recuperaverunt, ad

» *voir efficacement, en nous entredétruisant nous-mêmes.*
 » *O délire des passions! ô inconcevable fatalité! Où n'em-*
 » *portez-vous pas les hommes, qui écoutent les factices il-*
 » *lusions de l'ambition? Ne craignons-nous pas que nos en-*
 » *nemis nous appliquent justement ces vers:*

» *Et prodigues d'un sang qu'ils devoient ménager,*
 » *Preignent, en s'immolant, le soin de nous venger."*

Vid. Simonde de Sismondi l. l. pag. 97. et *Remarks on the ordonnance* cet. pag. 8.

(28) Vid. *Remarks on the ordonnance* cet. pag. 12.

(29) Vid. *Berigten van het Zendelingsgenootschap voor het jaar 1816. no. 1. pag. 9—11.*

(30) Vid. Simonde de Sismondi l. l. pag. 90. *seqq. Remarks on the ordonnance* cet. *passim.*

ad conspicuum fortunæ ac culturæ gradum videantur
ascensuri, priusquam ceterorum vincula soluta sint.

VII. Itaque, dissenso curriculo, metam optati-
mam attigimus; quod si qui sint, qui, me currentem
oculis et mente profecuti, aliquoties a proposito de-
clinasse vel in scopulos facile evitandos offensis-
se, iudicent, illos ut hæc mihi condonent, enixe rogo,
viam necdum calcatam me curriculi rudem ingressum
fuisse; memores. Rem autem gravissimam, quam,
quantum quidem ego scio, nemo alicujus nominis auctor
in Patria nostra ex professo tractavit, ut viri, tanto
muneri pares, sibi elaborandam sumant, toto animo
speramus; cui rei, si forte nostra hæc Dissertatio ali-
quam ansam daret, votis longe majora consecuti esse
nobis videremur. Interim ut horum hominum, quo-
rum causam etiam nos suscepimus, miseris lenientis
et vitæ conditioni emendandæ major quotidie cura
impendatur, faxit Deus T. O. M.; quod si ex hu-
manitatis principiis, quæ magis magisque amplecti vi-
dentur nostri ævi homines, et imprimis ex solenni
foedere, nuper inter nonnullos Europæ Principes inito,
quo ex principiis Religionis Christianæ sese cuncta
administraturos coram omni terrarum orbe promise-
runt (31), juste argumentari liceat, diu haud aberit,
cum vincula solvantur, quæ sacra auri famès, specioso
Christianismi propagandi colore teterrima consilia oc-
cultans, hominibus immeritis primum iniecit; nam

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

(31) Præclarum hoc foedus, cujus exemplum generis hu-
mani historia hucusque non præbuerat, inveniri potest in
Nederl. Staats-Courant 51. Januarij 1816 no. 27. pag. 1.

T A N T U M

THE-

T H E S I S.

I.
In *Leg. 9. Cod. Ubi causae fiscales.* videtur mendum latere, ita ut pro *provincialem* reponendum sit *provincia talem.*

II.

In *L. 23. pr. Cod. ad leg. Juliam de adult.* pro *accusari* legendum videtur *accusare.*

III.

Servi Romanorum juris naturae erant participes; itaque naturaliter obligabantur et alios sibi obligabant.

IV.

Lex Petronia videtur fuisse Plebiscitum, tempore Augusti factum, eoque cautum, ne domini fervoris suo arbitrio bestias objicerent.

V.

Mimus recte Legislatores Gallici in *Art. 1. Cod. Nap.* breve adeo temporis spatium videntur constituisse, ex quo leges in provinciis locisque, ab Imperii sede distantibus, vim obligandi acciperent; cum hoc modo accidere saepius possit, ut *Art. 2. ejusdem Cod.* effectu destituatur.

VI.

T H E S E S.

V I.

Quamvis in casu, qui continetur in *Art. 121*, absens procuratorem expresse statuisset in longius temporis spatium, quam decem annorum, nihilominus absentiae effectus locum habere defendimus.

V I I.

Minus recte videntur constituisse Legislatores Gallici in *Art. 123. Cod. Nap.* ut prius heredes praesumpti in bonorum possessionem absentis mittantur, dein testamentum aperiatur; cum sic contingere saepius possit, ut sine ulla necessitate bona tradantur.

V I I I.

In *Art. 182. Cod. Nap.* parum anxie cautum est, ne homines libidinosi et nefarii potestate, hoc *Art.* concessa, abutantur.

I X.

Si quis partim testatus, partim intestatus moriatur, testamentum Jure Gallico validum est.

X.

In *Art. 759. Cod. Nap.* tantum spectantur descendentes legitimi liberorum naturalium.

X I.

Perversa fuit *Cod. Nap.* promulgandi ratio, qua singuli tituli, prouti a supremo fenatu probarentur, vim legum singulatim acciperent, priusquam universus Codex ad publicam populi notitiam pervenisset.

X I I.

Quamvis multis nominibus sese commendare videatur ea legum ferendarum ratio, qua, abrogatis legibus et consuetudinibus particularibus, universalis legum Codex eidem populo constituatur; si tamen singulae ejusdem regni partes conspicue differant, commodis, quae ex legum uniformitate necessario oriuntur, in-

com.

T H E S E S.

commoda, quae ex principiorum similibus rebus diversissimis applicatione facile existunt, nequaquam videntur refarciri.

X I I I.

Praefecti Augustalis, ab Augusto primum instituti, majorem, quam Proconsulum et Proprætorum tempore liberae Reip. potestatem fuisse, tum ex aliis locis, tum ex Taciti *Hist. Lib. I. cap. II.* colligere licet.

X I V.

In loco Taciti *Annal. Lib. XII. cap. 60.* voce *Procuratoris*, non *Rationalem*, sed provinciae *Praesidem* intelligi, contra Heinæc. in *Comm. ad D. T. I. pag. 19.* defendimus.

X V.

Uti omnis fere, inter Graecorum Romanorumque et recentiorum populorum instituta, comparatio aliqua parte vacillet, ita tantum est discrimen inter horum, et posterioris aevi Europaeorum in America Colonias, ut, excepto nomine, nulla fere inter utrasque intercedat similitudo.

X V I.

Quod ait Montesquievius *Lib. X. cap. 7, 8* et 9, ex Rerumpub. natura sequi, ut provinciae, earum dominio subjectae, durius habeantur, quam quae ad Monarchias pertinent; id speciosius, quam verius dictum videtur.

X V I I.

Ex conditione, qua mulieres habentur, facile ad ipsam civitatis naturam concluditur.

X V I I I.

Aucta scientia hominum felicitatem augeri universe dici potest.

T H E S E S,

X I X.

Quod ait Cicero *de Orat.* l. 8. „Haec una res
„ [eloquentia] in omni libero populo, maximeque in
„ pacatis tranquillisque civitatibus, praecipue semper
„ floruit, semperque dominata est.” ita univérse ve-
rum non videtur.

X X.

Contractus vi et metu initi Jure Nat. non omni casu
nulli sunt.

X X I.

Egregie dixit Frossard, *la cause des esclaves nè-
gres* cet. T. I. pag. 84: „S'il est une illusion,
„ que les hommes aient entretenue dans tous les
„ siècles avec la même complaisance, c'est celle de
„ l'honneur. Ils ont toujours attaché à ce mot la
„ même signification. Ils lui ont constamment as-
„ socié l'idée d'oppression, de carnage, de conquê-
„ te, de vengeance; et il est peu d'exemples que
„ la vertu douce et bienfaisante ait obtenu ce tî-
„ tre, exclusivement réservé à ceux qui immolent
„ de nombreuses victimes à l'avarice ou à l'amour
„ de la gloire.”

AAN MIJNEN

V R I E N D

J. T. H. NEDERMEYER VON ROSENTHAL,

BIJ ZIJNE OPENBARE BEVORDERING TOT
DOCTOR IN HET ROMEINSCHE EN
HEDENDAAGSCHE REGT.

Den XXIV. *Juni* MDCCCKVI.



Ja, billijk wordt uw hoofd met de eerekroon omhangen,
Die op deez' blijden dag u Themis dankbaar biedt!
Maar, Vriend! met dubbel regt moogt gij die kroon ontvangen,
Die op deez' vrijen grond, bij 's burgers jubelzangen,
Meelijdend op het lot van 't zuchtend menschedom ziet.

Ja, lieflijk klinkt uw stem, bij Vrijheids dank-akkoorden,
Voor 's menschedoms dierbaarst regt, te lang zoo snood verdrukt,
Maar schooner rijst uw lof in 's Negers ruwe woorden,
Die, vrij met gade en kroost aan Nigers heete boorden,
Niet meer voor 't knellend juk eens harden dwinglands bukt.

Ziedaar het blij verschiet, dat, na het edelst pogen,
U aanlacht op uw baan, zoo roemrijk ingetreên!
Zie daar den schoonsten roem, waarop gij ooit kunt bogen!
Zoo wischt gij elken traan uit onschuld's weenende oogen,
Zoo volgt u heil en vreugd op uw gewenschte schreên.

Hoe gaarne doe ik thans mijn' vrienden - toon niet hooren,
Die, lang met u gevormd naar Themis reine leer,
Met u haar offers bragt in de eigen tempelkoren,
Met u, waar 't snoodst geweld des menschdoms heil wou fioren,
Minerva's boekrol liet voor Mavors heldenspeer!

Zoo traedt gij verder voort, bestraald door 's Hemels zegen!
Zoo volgt mijn' vriendschap u, hoever ook 't lot ons scheid'. —
Wij volgen 't zelfde doel, hoe langs verscheiden wegen,
En wijden de eigen kracht, na zoo veel vlijts verkregen,
Tot onzen laatsten stond aan deugd en menschlijkheid.

H. M. VOCKESTAERT.

J. U. Cand.

AAN

AAN MIJNEN

V R I E N D

J. T. H. NEDERMEYER von ROSENTHAL,

BIJ ZIJNE OPENBARE BEVORDERING TOT
DOCTOR IN HET ROMEINSCHE EN
HEDENDAAGSCHE REGT.

Den XXIV. Junij MDCCCLVI.



Ik zie verrukt, mijn vriend! uw jeugdig hoofd ombladerd
Met eerlaurieren, door Minerva's hand vergaderd,
Zij zelf drukt op uw kruin dees welkelooze kroon
En noemt met trotschheid u haar kweekling en haar zoon!
Ik juich u vrolijk toe, nu gij 't zoo zwaar beleedigd,
't Zoo wreed geschonden regt der menschheid fier verdedigt,
De lage winzucht vloekt, die eer en dengd vertreedt,
Den vrijgeboren mensch in slaafsche klusters smeedt;
Ja 'k juich u vrolijk toe! door zulk gevoel gedreven,
Zult gij voor 't heilig regt en zijn bescherming leven;
Juich onschuld, hef het hoofd uit smart en druk omhoog
En wisch de bangs traan van 't angstig aanzigt droog.

Hij

Hij komt, en zal door kracht van taal den booswicht straffen,
En lijdende onschuld haar geregte wraak verschaffen.

Ja 'k juich u vrolijk toe, gij die het Leydsche Atheen

Als kweekling zijt tot eer, ga dan gelauwerd heen.

Ga met den rijken schat door zoo veel vlijt verkregen,
En frek het Vaderland, der Maatschappij ten zegen;

Ga, maar vergeet het niet, zoo menig zalig uur,

Dat ons de vriendschap schonk, als wij van 't heilig vuur
Der Goddelijke kunst in 't jeugdig hart doordrongen,
Voor Vorst en Vaderland, voor Deugd en Vriendschap zongen.

Ga, maar vergeet het niet, hoe ons de broederband

Omslingerde, toen ons voor 't dierbaar Vaderland
Het blinkend wapentuig en de eervaan mocht versieren.

Ga dan, geluk en vreugd zijn uwe lijfstaffieren;

Grootsch stijge uw roem omhoog, op vleuglen van de faam,

En 't nagelacht noem nog met dankbren trotsch uw naam.

D. B A X.

Th. St.

E M E N D A N D A.

Pag.	28	reg.	5	<i>quam</i>		<i>lege quas</i>
—	34	—	26	<i>fit</i>	—	<i>fit</i>
—	38	—	21	<i>ad se</i>	—	<i>ad se</i>
—	48	—	14	<i>fallaces</i>	—	<i>fallaces</i>
—	54	nota (31)	reg. 3.	1763	lege	1663
—	89	reg.	3	<i>A. nnot.</i>	lege	<i>Annot.</i>
—	89	—	5	<i>Edwards</i>	—	<i>Edward's</i>
—	113	—	24	<i>fruct s</i>	—	<i>fructus</i>
—	120	—	12	<i>fit</i>	—	<i>fit</i>
—	145	nota (8)	reg. 28.	<i>religion</i>	lege	<i>religion</i>

THE HISTORY OF THE

REIGN OF
HIS MOST EXCELLENT MAJESTY
GEORGE THE SECOND
BY
SAMUEL JOHNSON
ESQ;
IN TWO VOLUMES.
LONDON:
Printed by R. and J. DODD, in Pall-mall; and
by A. MILLAR, in Strand; and
by W. CLAYTON, in York-street, near St. Martin's Church.
MDCCLXXII.



